

VB 29398

DISSERTATIONES
SODALIIUM SEMINARII PHILOLOGICI
UNIVERSITATIS LITTERARUM REGIAE HUNGARICAE
FRANCISCO-IOSEPHINAE

NOVA SERIES


I.

DE IANO PANNONIO
INTERPRETE GRAECORUM

SCRIPSIT

LADISLAUS JUHÁSZ

SZEGEDINI, MCMXXVIII.




SZTE Egyetemi Könyvtár



J000370743



SZ 1/31: V B N 2 9 3 9 8



Ianus Pannonius illis temporibus clarissimus atque excellentissimus poeta aetatem fato brevissimam datam etiam in libris nonnullis scriptorum Graecorum convertendis consumpsit. Et quamquam nec ipse has interpretationes magni aestimavit, nec eos posteritas tam diligenter, quam poemata curavit, tamen, cum praesertim ex his, quam optime sermonem Latinum noverit et sciverit Graecam linguam, maxime appareat et permulta indicia praebet vitae eius cognoscendae, verba de his facere haud supervacaneum esse arbitramur. Nam non est dubium, quin libri e Graeco in Latinum translati haud minimo momento ad gloriam Iani Pannonii perennem per totum terrarum orbem statim adipiscendam accesserint. Is ex his interpretationibus de Graeca lingua et litteris cognitio maximam laudem merens famam carminibus eximiis adeptam magnopere auxit.

Ianus Pannonius tantum duos libellos et unum librum de Plutarcho, praeterea unam brevem orationem de Demosthene in Latinum convertit, itaque negotium eius in interpretationibus magnum non dici potest. Vitae rationem suae haudquaquam in libris translatis habuit, ut multi illis temporibus, hoc negotium primum hortatu amici, deinde contra Turcas adhortandi atque incitandi, cum orationem Demosthenis adversus Philippum habitam transtulit, postremo Graecae linguae exercendae et sui delectandi causa fecit.

Tamen, si Ianum Pannonium hac ratione spectamus, excellentiorem et altiore et ampliorem locum aetate Mathiae regis occupantem videbimus, quippe qui praeter Ioannem de Zredna in Hungaria, quoad vixit, princeps nascentis aetatis fuerit, praeterea qui et primus et unicus eo tempore in Hungaria et linguam Latinam et Graecam ex aequalium et posteritatis et harum interpretationum iudicio κατ' ἔξοχὴν sciverit.

Nunc autem breviter libros ab eo interpretatos adumbrabo et argumentum dissertationis signabo.

Ianus Pannonius a Guarino Veronensi Ferrariae linguam Latinam et Graecam plane et perfecte discens ex eius schola egressus est et in Italia paene invitus operam convertendis scriptorum Graecorum libris dedit. Montanianae prope Patavium et Patavii annis 1456. et 1457. in Latinum convertit duos libellos Plutarchi, qui inscribuntur *Πρὸς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ἀφέλονται* et *Περὶ πολυπραγμοσύνης*. Deinde nonnullis annis post in Hungaria iam episcopus creatus circa annum 1460. brevem orationem Demosthenis, quae est *Πρὸς τὴν ἐπιστολὴν τὴν Φιλίππου* et ex libro *Ζ' Ἰλιάδος* plus centum versibus interpretatus est. Postremo septem annis interiectis a. 1467. iterum de Plutarcho librum, quae *Ἀποφθέγματα βασιλέων καὶ στρατηγῶν* inscribuntur, in Latinum transtulit.

Nos autem neglegentes interpretationem ex Homero factam et cetera epigrammata quoque, quae ex Anthologia Graeca sunt conversa, solum libros de Plutarcho et de Demosthene translatos tractabimus; quia imprimis de scribendi genere Iani Pannonii in libris e Graeco in Latinum conversis disserere volumus, nam in versibus translatis imprimis excellentiam poetae videmus.

Praeterea ad nostram aetatem in codice remansit oratio Demosthenis, quae est *ὑπὲρ Κτησιφῶντος περὶ τοῦ στεγάνου*, in Latinum a Iano Pannonio conversa. Cuius codicis initium temporum iniquitate periit, exstat autem in extrema pagina inscriptio, quae orationem Demosthenis a. 1461. a Iano Pannonio translata significat. Nos autem scribendi genus Iani Pannonii in interpretationibus accurate et diligenter investigando ac perscrutando conversionem non ab eo confectam esse demonstrabimus.

In hac dissertatione quo dilucidius nos aetatem Iani Pannonii intellegere possimus, primum renescentiam Graecae linguae usque ad aetatem Iani Pannonii, quam breviter poterimus, adumbrare conabimur. Deinde de studiis eius in schola Guarini Veronensis et de interpretationibus loquemur. Tum profusius de genere scribendi in libris conversis, postremo de oratione Demosthenis translata falso attributa Iano Pannonio disseremus. Dissertationem duae Appendices finient, in quibus codices et editiones interpretationum describemus.

PARS PRIMA.

De Graecae linguae renascentia in Italia.

Extremo mediae aetatis tempore tota Italia alterum humani generis saeculum sentiri poterat. Renascentia litterarum artisque recentis aevi fundamenta iecit. Quod aevum linguam Latinam renovavit, Graecam autem paulatim non solum in Italia, sed etiam in Europa a morte revocavit. Tunc renascentiam linguarum necessario litterarum artisque Graecorum et Romanorum renascentia sequebatur.

Id aevum bene Latine non scivit, sermo Latinus vitiosus et corruptus erat, incorrupta et pura Latini sermonis integritas evanuit et in oblivionem abducta erat. Quam facultatem redimendi recuperandique causa maximo cum studio praecipue Cicero¹ et Terentius² legi sunt coepti. In renascentia igitur linguae Latinae haud magnum impedimentum obstabat. Quod autem ad Graecam linguam renascentem attinet, iam multo plures difficultates appa-
uerunt. Nam fere septingenti anni labeantur nemine in Italia Graece loquente. Convenerunt quidem Byzantio haud raro mercatores in urbibus Italiae compluribus, non autem docendae linguae Graecae, sed commercandi gratia. Graeca sunt, non leguntur: erat mediae aetatis proverbium. Gentes ac nationes eas partes orbis terrarum incolentes, quae ad orientem solem spectant, nullum Graecarum litterarum sensum habebant. De Graecis antiquis solum tantum noverunt, quod in scriptorum Romanorum operibus invenitur. Itaque imprimis animos mentesque omnium in Italia ad Graecos convertere oportuit. Renascenti Graecae linguae praeterea necessario anteire linguae Latinae renascentiam opus erat. Aetati quidem renascenti et reviviscenti disciplinae vim et vigorem et animum Graecae litterae cognitae dederunt. Praeterea vim antiqui temporis maximam praesertim in Graecis scriptoribus viri illius renascentis aetatis doctissimi agnoverunt. Et certe; reviviscenti Latinae linguae Graeca lingua cognita insignem gravitatem addidit.

Primus, qui in Italia necessitudinem linguae Latinae pronuntiavit, Dante erat.³ In eius vestigio Petrarca et Boccaccius iam pro Graeca lingua verba fecerunt. Petrarca magnopere scivit, quam magni momenti esset Graeca lingua, cognitos habuit Graecos scriptores ad imitandum Latinis litteris esse propositos.⁴ Qua de causa magno cum desiderio omnem operam linguae Graecae discendae dedit, cum Barlaamus, genere Calaber, Avenione a. 1339. aderat, qui antea Byzantii aliquantum temporis vixit et Graecae linguae doctus erat. Ab eo statim linguam Graecam Petrarca discere coepit, paulo post autem studia Graeca intermittere coactus est, quia Barlaamus ex eo loco decessit.⁵ Boccaccium Leontius Pilatus⁶ linguam Graecam docuit. Nec autem Petrarca, nec Boccaccius Graecam linguam adeo didicerunt, ut scriptores Graecos intellegerent. Maximo incitamento erat Petrarcae, ut a quodam viro Byzantino, Nicolao Sigero totum Graecum Homerum dono acciperet.⁷ Tunc vero non alio desiderio arsit, ac Pilatus Homerum in Latinum converteret,⁸ quam totius Iliadis interpretationem ille in oratione soluta maiore cum benevolentia quam ingenio a. 1360. perfecit quoque, quacum in Italia fundamentum Graecae linguae iecit.

A Petrarca et Boccaccio renascentiam Graecae linguae prae-paratam esse iure dicimus. Illi erant primi, qui intenti oculos ad eam linguam vertebant, qui longo saeculorum tempore post discabant linguam Graecam et animos hominum ad litteras magni momenti Graecas excitabant. Verba Petrarcae iam in oblivionem non adducuntur. Mox viri Latinae et statim in vestigio eorum Graecae linguae docti prodeunt, post eos maioris effectus discipuli procedunt ita, ut brevi tempore in Italia Graecae linguae satis lata via aperta sit.

Renascentia autem Graecae linguae, ut supra iam diximus, in lingua Latina est posita. Primum haec lingua polienda et in Italia latius extendenda erat. Primus omnium Salutatus⁹ puram et incorruptam Latini sermonis integritatem habuit, qui vir prorsus omni doctrina eruditus et Latinis litteris doctus in urbem Florentiam maximam vim exercuit. Primus, qui de lingua Latina docenda in urbibus Italiae compluribus optime meritus est, Ioannes de Ravenna magister peregrinans erat.¹⁰ Qui quamquam linguae Latinae mediocriter doctus erat, tamen ardenti cum studio et admiratione litterarum nuper repertarum, ut dicebatur, discipulos frequentes in se convertit. Discipuli postea viri omni doctrina eruditi scholam

eius frequentabant,¹¹ ut Scarparia, Rossius, Marsuppinius, Poggius, Franciscus Barbarus, Ambrosius Traversarius et qui postea munus magistri sibi sumpserunt, Guarinus Veronensis et Victorinus de Feltre.

Mox autem eminebat Italiam Graecis studiis non satis esse praeparatam.

Emanuel Chrysoloros¹² et Demetrius Cydonius,¹³ ambo Byzantii ingenti laude docendi florentes, Venetias profecti sunt auxilium Venetorum et Italicorum contra Turcas imploratum. Statim duo viri nobilissimi Florentini,¹⁴ Scarparia et Rossius, Venetias iter fecerunt, ut ab iis linguam Graecam discerent. Demetrius Cydonius brevi tempore Byzantium reversus est, quem Scarparia sequebatur, Rossius autem Florentiam rediit et narravit Venetiis Graecum magistrum morari. Tunc Salutatus profecto effecit, ut Chrysoloras Graecae linguae docendae causa Florentiam vocaretur. Chrysoloras sane a. 1396. Florentiam venit et insequenti anno ibi docere coepit. Discipuli frequentes undique ex Italiae urbibus Florentiae conveniebant et eum maximo cum studio circumstabant. Chrysoloras prorsus longe alius, ac Barlaamus et Pilatus, erat. Is non solum magister Graecae linguae, sed etiam plane ac perfecte Graecis litteris doctus erat, a quo animi discipulorum etiam ad humanitatem institui atque informari potuerunt. Artem grammaticam Dionysii Thracis Graecam, quae *τέχνη γραμματική* inscribitur et de qua paulo post plura verba faciemus, transformavit et correxerat.¹⁵ Ex hac grammatica discipulos iam via et ratione, quae methodus dicitur, docuit, quorum ingeniosissimi et summis ingeniis praediti Guarinus Veronensis, Rossius, Leonardus Brunius, Marsuppinius, Traversarius erant. Chrysolorae Guarinus Veronenensis proximus stabat, Leonardus Brunius autem, qui tantum duos annos ab eo Graecam linguam didicit, excellentissimus erat. At plurimi discipulorum mox a Graecae linguae difficultate abhorrebant et Florentiam relinquebant, ut Chrysoloras a. 1402. Ticinum, quae urbs nunc Pavia nominatur, abire cogeretur,¹⁶ unde insequenti anno Byzantium revertitur, quo discipulus fidelissimus Guarinus Veronensis sequitur et circa usque ad annum 1410. Byzantii in schola eius remanens Graeca lingua plane et perfecte eruditus est.

Chrysoloras sex annos in Italia commorans eam totam transformavit, quamquam ipse successus prosperos profecto non consecutus est et effectus magni momenti statim non apparuit.



Is enim erat primus, qui post tot annos in Italia discipulos Graecam linguam docuit et iis litteras Graecas aperuit. In Italia paulatim lingua litteraeque Graecorum cognosci coeptae sunt, quae imprimis a discipulis eius exemplum magnum ac grande edentibus ardenti cum studio propagatae sunt. Praecipue Florentiae, ubi quinque annos docuit, tam certissima fundamenta posuit, ut haud multo post haec urbs aetate renascentiae primum et excelsissimum locum tota Italia occuparet.

Eodem tempore primo decennio saeculi XV. lingua Latina quoque iam non solum in Italia, sed etiam inter ceteras gentes nationesque dilatatur. Ioannes de Ravenna a. 1397. a Salutato Florentiam vocatus a. 1404. invitationi satisfacit.¹⁷ Alter magister peregrinans Gasparinus Barzizza¹⁸ a. 1407. Patavii scholam condidit. Ille iam expolitiore et incorruptiore lingua Latina loquebatur, quam Ioannes de Ravenna, tamen Salutatum non consecutus est.

Nunc breviter adumbrabimus, quomodo primo renascentis aetatis tempore Graecam linguam didicerint. Tres modi a nobis inveniri videntur.

I. Qui linguam Graecam plane ac perfecte et loqui et scribere voluerunt, aut magistros eam linguam sermonem patrium habentes adibant, aut Byzantio linguam, quam loquuntur, suo loco requisiverunt propter sermonem vivum et loquendi gratia. Bene Graece sciebant, qui hoc modo linguam discebant. Hi erant viri, qui primo renascentiae tempore cupiditate Graecae linguae litterarumque flagrabant atque ardebant. Quorum primi ad magistros genere Graecos, qui in Italia affuerunt, confugiunt eosque domum redeuntes sequuntur, ut Scarparia et Guarinus Veronensis, qui in schola eius usque ad annum 1410. moratus est.¹⁹ Item Aurispa²⁰ et Traversarius²¹ quoque multos annos Graecam linguam discendo Byzantii consumebant. Franciscus Philelphus non magis litterarum, quam sermonis gratia Byzantinos requisivit. Septem annos ibi moratus est in continuo studio scholam Chrysolorae quoque frequentans, cuius post mortem a. 1415. a Chrysococca discebat. Plane et perfecte Graeca lingua, ut ipse dicit, non in schola instituebatur, sed maximo cum studio ex libris, puram autem et incorruptam linguam Graecam Atticam ab uxore Theodora, natione Graeca, discebat.²²

II. Ii, qui non habebant occasionem Byzantium proficiscendi et ibi magistros Graecos adeundi, a magistris Graecam linguam non sermonem patrium loquentibus in Italia discebant. Illi sermonem

Graecum suo loco audientes et loquentes discebant, hi autem ab optimis magistris instituebantur, qui rationem et viam, id est methodum adhibebant. Discipuli in scholis pariter lingua Latina et Graeca erudiebantur. Primum grammatica Latina et Graeca doceri, deinde paulatim scriptores Latini et Graeci legi coepti sunt. Primus, qui iuvenes ratione et via docuit, Guarinus²³ Veronensis ille clarissimus Graecae linguae magister erat. Is, postquam circa annum 1410. Byzantio in Italiam multis libris Graecis onustus rediit, a. 1410. Florentiam vocatus ibi maximo cum honore exceptus est. Usque ad annum 1414. docebat in ea urbe, unde Venetias invitaverunt. Hic usque ad annum 1420. mansit, interim a. 1416. Patavii quoque docuit, mox Veronam et Bononiam, demum Ferrariam profectus est, quo princeps familiae Estensis et dux Ferrariae Nicolaus invitavit, qui ei filium Leonellum erudiendum tradidit, Guarinus mandatum accepit et Ferrariae a. 1429. contubernium non solum in Italia, verum etiam exteris gentibus et nationibus notissimum condidit. Victorinus de Feltre²⁴ iam a. 1423., sex annis ante, quam Guarinum Ferrariam Nicolaus vocavit, Mantuae scholam clarissimam, quae Iocosa Domus²⁵ nominatur, condidit. Victorinus de Feltre linguam Latinam Guarini, Guarinus vicissim linguam Graecam illius correxit et emendavit. Hoc modo alter ab altero instituebatur. In schola Victorini de Feltre praeter Latinam lingua Graeca quoque primas partes egit. Is erat primus, qui scholis exemplar, quod ad iuvenes educandos pertinet, constituit, cum Guarinus scholae rationem et viam intulisset et monstravisset, quibus modis opus esset iuvenes docere. Illi ambo fuerunt primi, qui toti Italiae litteras Graecas aperuerunt Guarinus ipse magister in docendo optimus et in schola aprior magisque idoneus erat, quam Graeci magistri, ut Chrysoloras. Is enim se animis discipulorum magis applicare potuit et noverat, quibus modis optime iuvenes lingua Latina et Graeca institui possent, ideo Graecam et Latinam grammaticam composuit,²⁶ quo facilius hae linguae doceri possent, qua de causa a filio Baptista Guarino compendii amantissimus vocatus est. Eos scriptores Graecos legere praecepit, qui intellectu faciles sunt et quibus legendis animi mentesque discipulorum devinciri possunt. Qui scriptores Graeci Aesopus, Lucianus, Plutarchus, Isocrates,²⁷ praeterea Demosthenes fuerunt. Andreas Pannonius de schola Guarini in eo libro, qui est De virtutibus, haec scribit:²⁸ „In hac civitate Ferrariensi . . . non solum latina

eloquentia, verum etiam graeca, ut altera Athena floret.“ In schola Victorini de Feltre praesertim Isocrates²⁹ et Demosthenes habuerunt maximum effectum in docendo. Discipuli autem, postquam e scholis eorum egressi sunt, et Latinae et Graecae linguae pariter docti fuerunt.

Nunc nobis pauca verba facienda sunt de ea grammatica Graeca, quam Guarinus discipulis suis confecit. Dionysius Thrax³⁰ primus Graecam grammaticam scripsit, quae *τέχνη γραμματικὴ* inscribitur.³¹ Haec ars grammatica prima definitiones linguae, id est terminologiam constituit et ex ea Graecae linguae elementa doceri poterant. Per multa saecula hac grammatica utebantur, quae non aliud, ac regulas linguae breviter constitutas et collectas complexa est. Tamen libellus modestissimus postea non solum in linguam Graecam, verum etiam in alias linguas maximam vim exercebat. In linguas quoque, quae dicuntur orientales, conversa est, per longum tempus permulti commentarii,³² quae *σχόλια* vocantur, ascripti sunt. Usque ad saeculum XII. hanc grammaticam in scholis ad linguam Graecam docendam adhibebant, cum grammaticam Graecam in interpretationes et responsiones distributam, quae *Ἐρωτήματα* dicuntur, ex arte grammatica Dionysii Thracis primum Byzantini grammatici fecerunt.³³ In his erat Chrysoloras quoque, qui grammaticam Dionysii Thracis fundamento ponens grammaticam Graecam in interpretationes et responsiones distributam scripsit, quae *Ἐρωτήματα τῆς Ἑλληνικῆς* inscribuntur.³⁴ Ex hac grammatica plerumque aetate renascentiae discebant, quam grammaticam Graece conscriptam Guarinus transformavit et Latine interpretatus est a. 1417., quae *Erotemata grammatica* inscribuntur.³⁵ Re vera Guarinus duo *Erotemata Grammatica* scripsit: breviora iis, qui linguam Graecam discere coeperunt, postea maiora et uberiora composuit Latinam grammaticam suam, quae *Regulae grammatices* inscribuntur, fundamento ponens.

III. Multo maior erat pars eorum, qui linguam Graecam per se soli discebant. Hi libros Graecos et eosdem in Latinum conversos, qui libri bilingues nominantur, comparabant. Quo modo plura verba Graeca et paulum grammaticae discebant, bene autem linguam Graecam numquam sciverunt. Qua autem ratione non solum discebant, verum etiam docebant magistri Graecam linguam, quod ex iis litteris quoque eminet, quas a. 1495. mittit Aldus Manutius ad Albertum Pium³⁶ : „Sic Graece didicit Hermolaus Barbarus, sic

Picus Mirandola, sic Hieronymus Donatus, sic Angelus Politianus. "Qui hoc modo voluerunt Graecam linguam discere, aptissima scripta sacra, quae Psalteria et Evangelia dicuntur, fuerunt, nam hi libri omnibus noti sunt.³⁷ Ambrosius Traversarius, quomodo linguam Graecam didicerit, in quadam epistola ad Franciscum Copulam scripta sic enarrat³⁸: „Psalterium . . . graecum . . . cum latina conferre incepti atque notare singula tum verba tum nomina et reliquas orationis partes quidque singula significarent, mandare memoriae et vim verborum omnium tenere quantum fas erat. Ibi profectus incipium sumpsi. Transivi deinceps ad Evangelia, Epistolas Pauli Actusque apostolorum in hisque familiariter observatus sum; habent enim satis magnam verborum copiam suntque omnia translata fideliter ac diligenter nec inconcinne. Postmodum vero et gentilium libros videre volui eosque haud facile intellexi." Guarinus scribit in quadam epistola³⁹ se, cum Florentiae versaretur, a quodam homine rogatum esse, ut carmina Graeca ei interpretaretur. Carmina vero a se interpretata tunc hominem in superiore versuum parte exposuisse, ut facilius interpretata reminisceretur. Postea Guarinus ipse hac ratione et via docendae Graecae linguae utebatur et proverbia Graeca Latine interpretatus est. Quae proverbia a Guarino interpretata discipuli eius colligebant, e quibus exemplum profero:⁴⁰

Vita trochus est

O vios trochos

Ὁ βίος τροχός

Veteres Graeci cum in communi confabulatione de humanae vitae instabilitate quererentur, vitam volubilem trochum esse dicebant.

Linguam Graecam e libris, qui bilingues dicuntur, plane et perfecte discere maximo cum studio opus erat, nam hoc modo grammaticam, quae imprimis fundamento est Graecae linguae sciendae, parum didicerunt. Hi libri, id est bilingues, permulti a Graecae linguae doctis confecti sunt, quorum scriptorum imprimis Plutarchus est nominandus,⁴¹ qui in illam aetatem longe maximam vim exercuit.

Nunc autem de Graecorum scriptorum interpretibus pauca verba nobis facienda esse videntur. Nam aetas renascentiae paenepoposcit ac flagitavit, ut a Graecae linguae scientibus opera excellentissimorum scriptorum Graecorum in Latinum converterentur. Aetate, quae vocatur media, Graecorum philosophorum maximam

vim Aristoteles exercuit. Opera Aristotelis in Latinum ex Arabico, in quem sermonem Arabes linguae Graecae docti vitiose et negligenter neque accurate converterant, reddita sunt.⁴² Qui igitur primi linguam Graecam didicerunt, primum officium habebant libros Aristotelis in Latinum convertere. Quorum interpretum primus et illorum temporum clarissimus Leonardus Brunius est, qui Graecae linguae satis doctus plura opera Aristotelis in Latinum transtulit et ne Platonis quidem opera in Latinum convertere neglexit. Aristoteles et Plato potissimum ab eo in Latinum conversi, quos paene per duo decennia⁴³ interpretabatur, incitaverunt illam maximam disceptationem de priore loco duorum philosophorum, cuius haud parva vestigia et in Hungaria inveniuntur.⁴⁴

Plutarchum scriptorem antiqui temporis excelsissimum maxime colebant, Vitae eius et scripta moralia tota Italia libri notissimi fuerunt. Plutarchus enim integerrimus antiqui temporis scriptor habebatur. Is totus temporibus clarissimae Graeciae vixit et ea tempora in operibus interpretabatur.⁴⁵ Propter animi indolem, naturam, simplicitatem omnibus temporibus, maxime autem aetate renascentiae amatissimus fuit. Libri eius praecipue in scholis Graecae linguae docendae aptissimi fuerunt. Guarinus ipse Vitas eius in Latinum convertit, discipulos autem opera Plutarchi convertendo linguam Graecam docuit, ut infra apud Ianum Pannonium quoque videbimus.

Praeter Aristotelem et Platonem et Plutarchum Isocrates et Demosthenes magni habebantur. Isocrates praecipue saeculis XVI. et XVII. maximam vim exercuit.⁴⁶

Operae maximi effectus Guarini et aliorum inter se coniunguntur, paulatim magis atque magis Graeca lingua extenditur ac dilatatur. Brevi hi viri ardore et inflammatione sibi permultos fautores parant, amicitiae eorum in dies duplicantur.

Poggius⁴⁷ omnium maxime admiratione et studio Graecarum litterarum arsit. Non erat contentus, quod a Chrysolora didicit. Desiderio Graecorum maximo exardescens, quia scriptores Graecos legere Graece non potuit, maximo dolore affectus est et iterum maiore cum studio hanc linguam discere aggressus est. Litterae eius ad aetatem renascentiae cognoscendam maximi momenti sunt.⁴⁸

Interim in Graecia plurimi codices Graeci colliguntur et in Italiam advehuntur. Aurispa Byzantii omnem rem familiarem in codices Graecos impendebat et eos a. 1423. in Italiam portavit.⁴⁹

Idem et Traversarius codices opera omnia Platonis complectentes, praeterea scripta eorum philosophorum excellentissimorum, qui sunt a Platone, in Italiam ferunt.⁵⁰ Guarinus una cum Aurispa codices corrigunt, Aurispa et Rinuccius Laurentium Vallam linguam Graecam docent,⁵¹ qui, quamquam eam linguam numquam plane et perfecte didicit, tamen linguam Latinam poliendo et excolendo in Graecam linguam extendendam quoque vim maximam exercebat.

In illa de Aristotelis priore loco disceptatione excelsissimum locum Bessario⁵² cardinalis, natione Graecus, occupabat, qui a Laurentio Valla argute Latinorum Graecissimus, Graecorum Latinnissimus vocatus est.⁵³ Eodem tempore in Italia tres viri Graeci docti quoque morabantur: Georgius Trapezuntius, Theodorus Gaza, Constantinus Lascaris, qui Graecis libris in Latinum conversis et operibus suis ad Graecam linguam et litteras propagandas maximam partem accesserunt.

Qui viri omnes summis operibus effecerunt, ut Nicolao V. papa⁵⁴ regnante (ab anno 1447. usque ad annum 1455.) Graecae litterae in propagando tam maximos eventus adipiscerentur. Summis negotiis Nicolaus V. papa, quod voluit, effecit. Is erat primus, qui Graecae linguae doctos coniungere potuit, iis plurima scriptorum Graecorum convertendorum mandata dabat. Sic Guarinus rogatu eius septemdecim libros Strabonis in Latinum convertit, quod modo mortuo papa ad finem perduxit a. 1456.⁵⁵ Idem Nicolaus V. papa Ianum Pannonium nostrum Ferrariae discentem hortatus est, ut Homerum in Latinum converteret, cui autem mandato ille satisfacere non potuit.⁵⁶ Post Nicolai V. papae mortem litterae Graecae iam penitus in animis hominum haeserunt. Quo anno Nicolaus V. papa creatus est, tunc Ianus Pannonius in scholam Guarini profectus est, ut lingua Latina et Graeca erudiretur. Ipse suis oculis in dies videbat operam Guarini, cuius effectus tota eius vita in animo remansit.

* * *

Haec ad interpretationes Iani Pannonii intellegendas commemorare necessaria putavimus.

PARS ALTERA.

De studiis Iani Pannonii in schola Guarini.

Imbiberam tenerae vix prima elementa Minervae,
 Nec mala venturi iam documenta dabam,
 Cum tuus Ausonias tradit me frater ad oras,
 Longinquo et Musas quaerere in orbe iubet.⁵⁷

Quos versus cuiusdam elegiae Ianus Pannonius ad matrem Barbaram, quae soror Ioannis de Zredna fuit, scripsit. Ianus Pannonius duodecim annorum puer in Italiam profectus est a. 1447.⁵⁸ et, ut ex versibus supra laudatis videtur, iam in Hungaria certe linguam Latinam quoque didicit. Permulta documenta habemus Ianum Pannonium iam puerum magno ingenio praeditum fuisse. Amicus eius, Baptista Guarinus Guarini Veronensis magistri filius, de eo haec scribit:⁵⁹ „Ianus duodecim iam ingressus annum eximiam indolem et mirabiles ingenii vires prae se ferebat.“

Versus elegiae, qui sequitur hic est:⁶⁰

Ilius impensa Venetas celebravimus urbes.

Sine dubio Ianus Pannonius, cum Venetas urbes memorat, nec Venetias, nec Patavium notare voluit, sed poetice dixit Venetas urbes pro Italia. Ioannes de Zredna enim ad discendum scholam Guarini Veronensis designavit, apud quem et ipse didicit. Nonnulli vitae Iani Pannonii scriptores⁶¹ hoc documentum afferentes falso eum ex Hungaria Patavium iisse demonstrant. Qui huic sententiae contradicunt, nobis imprimis Baptista Guarinus commemorandus est, in epistola enim eius haec legi possunt:⁶² „Cuius (sc. Iani Pannonii) ne animus otio torpesceret, ad Guarinum parentem meum . . . erudiendus missus est.“

Ianus Pannonius in schola Guarini e discipulis statim excellerebat. Baptista Guarinus, cum de eo scribit, sic exclamat:⁶³ „Ubi, proh bone deus, quam brevi profecit, quanta divini ingenii experimenta dedit.“ A Guarino et Latinam linguam et Graecam

pariter discebat et „erat in studiis ita avidus, ut noctu legere ingressum persaepe dies vigilantem opprimeret.“⁶⁴ Praecipue „litteras graecas . . . avide arripuit.“⁶⁵ Inter discipulos primus factus est egregiae spei adolescens, is erat superbia Guarini. Bonfinius verba magistri de Iano Pannonio ad nos reliquit:⁶⁶ „Praceptor eius saepe dicere solebat se nullum adhuc ex Italis peregrinisque discipulum habuisse, qui praestantia, docilitate foecunditateque ingenii cum Ioanne Pannonio conferre posset.“ Incorruptam et puram Latini sermonis et Graeci integritatem a Guarino discebat ita, ut „si Latine loquebatur, in urbe Roma, si Graece, mediis natum Athenis affirmasses. Nil barbariei actio, et oratio redolebat.“⁶⁷ Iam puer praecipue in poesi, imprimis in epigrammatibus componendis excellebat.

Guarinus, ut iam in priore parte diximus, discipulos Graecis scriptoribus in Latinum convertendis Graecam linguam et simul Latinam docebat. Aetate Ioannis Sambuci Veronae codex Vitas Bruti et Galbae, quas Plutarchus scripserat, a Iano Pannonio in Latinum conversas et a Guarino emendatas complectens exstitit, nunc autem iam non invenitur. Quo de codice Ioannes Sambucus in editionis operum Iani Pannonii praefatione haec scribit:⁶⁸ „Bruti et Galbae in Plutarcho Vitae Latinae huic omnino Interpreti (sc. Iano Pannonio) sunt tribuendae, quod ipsum de libro Veronae a me viso et a Guarino emendato testis oculatus confirmo.“

Nomen Iani Pannonii tota Italia notissimum erat. Fama de ingenio poetico etiam ad aulam papae Nicolai V. pervenit, qui mandatum Homeri in Latinum convertendi dedit, cui autem Ianus Pannonius satisfacere postea nullo modo potuit.⁶⁹

Ianus Pannonius in honorem Guarini monumentum aere perennius exegit, e quo facile intelligitur, quam magni aestimaverit litteras, quas ab eo didicisset. Quod monumentum est illud carmen, quae Silva Panegyrica ad Guarinum Veronensem inscribitur.⁷⁰

Fere undecim annos Ianus Pannonius in Italia moratus est, e quibus novem annos usque ad annum 1456. apud Guarinum consumpsit, interim autem nonnullos menses a. 1451. in Hungaria fuit. A. 1456. e schola Guarini egrediens studia continuatum⁷¹ Patavium profectus est, quo eum a Iacobo Antonio Marcello⁷² invitatum esse verisimile est.

PARS TERTIA.

De libris a Iano Pannonio conversis.

Ianus Pannonius e schola Guarini egrediens interpres Graecorum scriptorum factus est. Quo anno Patavium profectus sit, nescimus; annum 1456. fuisse suspicamur. Patavii et Montanianae, in pago territorii Patavini, ubi fortasse Iacobus Antonius Marcellus praedium habuit,⁷³ moratus est. Montanianae a. 1456. libellum Plutarchi, qui *Πῶς ἂν τις ἐπ' ἐχθρῶν ἀφέλοιτο* inscribitur, in Latinum convertit. Proximo anno alium libellum Plutarchi, qui est *Περὶ πολυπραγμοσύνης*, Latine interpretatus est. Mox autem iam circa annum 1458. in Hungariam reversus est, ubi a. 1460. sive anno superiore extremo episcopus Quinqueecclesiarum creatur. Iam episcopus creatus parvam orationem Demosthenis, quae *Πρὸς τὴν ἐπιστολὴν τὴν Φιλίππου* habita erat, in Latinum vertit. Deinde septem annis interiectis a. 1467. iterum et postremo convertere aggressus est, cum denuo de Plutarcho librum convertit, quae *Ἀποφθέγματα βασιλέων καὶ στρατηγῶν* inscribuntur.

Ianum Pannonium plures scriptorum Graecorum libros in Latinum non convertisse certum habemus. Vitas enim Bruti et Galbae a Plutarcho scriptas a Iano Pannonio in Latinum conversas et a Guarino emendatas, quas sibi Veronae visas Ioannes Sambucus testatur,⁷⁴ exercitationes esse solum in Graeca lingua iudicamus. Item sub nomine Iani Pannonii oratio quaedam Demosthenis, quae *Ἐπὲρ Κτησιφῶντος περὶ τοῦ στεφάνου* habita est, ab eo in Latinum translata a. 1461. fertur, hanc orationem a Iano Pannonio esse conversam, ut infra in parte dissertationis nostrae quinta videbimus, ubi pluribus verbis hanc orationem tractabimus, negabimus.

Quantam vim Plutarchus illis temporibus exercisset, iam commemoravimus. Eum Ianus Pannonius in schola Guarini ita adamavit, ut codices opera eius complectentes in Hungariam quoque secum portaret. Postquam duos libellos in Italiā transtulit, post decennium iterum de eo convertere destinavit. „Plutarchus philosophus gravissimus, historicus fidelissimus, orator eloquentissimus,“⁷⁵

praeterea „homo in omnium bonarum artium disciplinis copiosus ac elegans“⁷⁶ a Iano Pannonio dicitur. De Demosthene autem unam parvam orationem in Latinum vertit.


Videmus ex his Ianum Pannonium ter libros Graecorum scriptorum convertere aggressum esse. Primum in Italia de Plutarcho annis 1456. et 1457., deinde in Hungaria iam episcopus de Demosthene circa annum 1460., postremo septem annis interiectis iterum de Plutarcho a. 1467. transferebat. Qua de causa Iani Pannonii operam in libris scriptorum Graecorum convertendis in tres periodos dividimus.⁷⁷

Periodus prima.

Ianum Pannonium e schola Guarini vocatu Iacobi Antonii Marcelli iisse Patavium, ubi clarissima schola erat, arbitramur. Quem annum 1456. fuisse verisimile est. Quo anno Patavio in Hungariam reversus sit, nescimus; annum 1458. fuisse suspicamur. Dum Ianus Pannonius in Italia moratus est, duos libellos Plutarchi, alterum Montanianae in pago territorii Patavini, a. 1456., alterum Patavii, a. 1457., in Latinum convertit, quas duas interpretationes in periodo prima ponimus. Qui libelli Plutarchi „Quibus modis ab inimicis iuvari possimus?“ et „De negotiositate“ inscribuntur. Ambos libellos adhortationibus amici, M. Aurelij, transtulit. Patavii sine dubio codices commentariis instructi Iano Pannonio praesto fuerunt, quod vel ex eo intellegitur, quod hi libelli et accuratissime et fidissime et diligentissime in Latinum sunt versi, quibus commentariis instructis codicibus postea, cum in Hungaria a. 1467. librum Plutarchi de dictis regum et imperatorum transtulit, valde indiguit et caruit.

a) *Libellus Plutarchi: Quibus modis ab inimicis iuvari possimus?*

Ianus Pannonius iam prior, Guarini discipulus, ab amico M. Aurelio secretario Venetorum rei publicae⁷⁸ crebra incitatione compelli⁷⁹ videtur, ut interpretetur aliquid. Tandem Montanianae sive Montagnanae, in pago territorii Patavini, ubi praedia fuisse Iacobo Antonio Marcello verisimile est,⁸⁰ interpretatus, est librum Plutarchi, qui *Πως εν τις υπ' εχθρων αφελοντο*, inscribitur. Quam interpretationem M. Aurelio dedicat. Dedicatio ipsa nos multis de rebus certiores fecit, quibus rationibus Ianus Pannonius hunc li-



brum converterit. Haud magna cum cupiditate libros Graecos in Latinum convertere aggressus esse videtur. Ipsum, scribit in dedicatione, multa dehortata esse, ne quid interpretaretur, nunc autem se institutum suum transgredi et has primitas M. Aurelio offerre, qui interpretari se compulsisset. Ideo hunc librum Plutarchi vertisse, ut M. Aurelius utilitates inimicitiarum legens recognosceret; quanto uberiores essent amicitiae ipsorum fructus. Hac interpretatione senec laudem consequi velle, nec in vulgus eam emitti a M. Aurelio magnopere cupere. Vituperationem certe non debere, cum nec doctrina nec aetas ea esset, ut citra veniae meritum quidquam potuisset a se delinqui. Probaretur ab aliis an reprehenderetur, se iuxta aestimare.⁸¹ In fine dedicationis tempus et locum, ubi dedicationem scripsit, invenimus. Kal. Decemb. MCCCCLVI. Montaniana.⁸² Ianus Pannonius titulum Graecum ante dedicationem sic vertit: „De utilitate inimicitiarum,“ ante translationem autem sic: „Quibus modis ab inimicis iuari possimus?“⁸³ Quem posteriorem titulum ideo, quod Graeco fidius conversus est, huic capiti praeposuimus.

Nunc autem nobis pauca verba de eiusdem libri Plutarchi interpretatione facienda sunt, quam Ludovicus Odaxius Patavinus confecit.⁸⁴ Cuius interpretationis titulus ab Odaxio conversus hic est: „Quo pacto quispiam ab inimicis emolumentum capere possit?“⁸⁵ Ludovicus Odaxius, qui interpretationem Iani Pannonii ignorare videtur, ab anno 1455. usque ad annum 1509. vixit⁸⁶ et plures libros Plutarchi morales in Latinum convertit.⁸⁷ Quo autem anno hunc librum Plutarchi transtulerit, nescimus. Qua de translatione et stilo et comparatione cum Iano Pannonio in parte dissertationis nostrae sequenti plura verba loquemur.

b) *Libellus Plutarchi: De negotiositate.*

M. Aurelius libellum Plutarchi a Iano Pannonio interpretatum, de quo supra verba fecimus, accipiens amicum iterum ac denuo precibus fatigavit et cohortationibus impulit, ut alium Plutarchi libellum a se conversum sibi mitteret. Ianus Pannonius rogationi invitus satisfacere videtur et in Latinum transtulit libellum Plutarchi, qui est *Περὶ πολυπραγμοσύνης*. Dedicatio Patavii pridie Kal. Mart. a. 1457. scripta est ad M. Aurelium, id est paene tribus mensibus post, quam librum Plutarchi supra tractatum ad amicum misit. In hac dedicatione imprimis Ianus Pannonius disserit, quomodo verbum Graecum *πολυπραγμοσύνη* in Latinum converti possit. Primum

A. Gellium⁸⁸ testatur, qui primum verbo negotiositatis vertere voluit, deinde hoc verbum non satis aptum iudicans postremo ne longo quidem verborum ambitu describere potuit. Ianus Pannonius ipse eo vitio praeditos partim negotiosos, partim curiosos, vitium ipsum tum negotiositatem, tum curiositatem appellat, quamquam verba nec curiositatis nec negotiositatis ei placent. Deinde Nigidium, Figulum illum doctissimum virum testatur, qui affirmavit „inclinamentum semper huiuscemodi verborum, ut, vinosus, religiosus, signare copiam quandam immodicam rei, super qua diceretur.“ Tum Ciceronem⁸⁹ et Catullum⁹⁰ testatur, qui verbo curiosi ita utuntur, ut Graeci verbo *πολυπραγμοσύνης*. Postremo iterum Ciceronem,⁹¹ cum verba negotiositatis et curiositatis dura arbitraretur, testatur, qui verba beatitudinis et beatitatis conficit. Idem Cicero e mulieroso mulierositatem, e vitioso vitiositatem ex ebrioso ebriositatem effecit.⁹² Ex his satis apparet Ianum Pannonium, cum libellum Plutarchi in Latinum convertit, codicem commentariis instructum sine dubio habuisse.

Ianus Pannonius in Latinum ideo hunc librum Plutarchi convertit, quod studiosis hunc non inutilem fore arbitratus esset, quod sive hoc morbo laborantes cum legerent, possent sanari, sive plane valentes possent oblectari.⁹³

Cur Ianus Pannonius nonnullis annis post relinquens Plutarchum Demosthenis orationem in Latinum convertere coeperit, plane demonstrant nobis extrema verba huius dedicationis:⁹⁴ „Quod si toto in opere dicendi venustatem desiderabis; fac primum cogites; quam aegre procedat omnis transductio; tum quod nec orationes nec historiae tam sunt difficiles translato, quam scripta philosophorum, in quibus si modo sententiam recte verteris, magna felicitas est cetera non omnino insipida videri.“

Reliquum est, ut de titulo interpretationis pauca verba faciamus. Ianus Pannonius sine dubio titulum translationi De negotiositate inscripsit, id quod plane e verbis dedicationis quoque intellegitur, ubi haec inveniuntur:⁹⁵ „Nomen . . . istud, quod pro indice libri ascriptum vides, A. Gellius . . . in Noctibus Atticis de hoc ipso tractans ita respuit, ut aliud statim concinnius requirat.“ A. Gellius enim verbum, quae *πολυπραγμοσύνη* est, primum verbo negotiositatis transferre voluit, ut paulo superius iam diximus.

Periodus altera.

Ianum Pannonium circa annum 1458. rediisse in Hungariam suspicamur, quò anno Mathias rex creatus est. Eo regnante res ad rem publicam attinentes reviviscunt, rex ipse acumine ingenii statim constantissimus Hungariam direxit atque administravit. Eum viri magno ingenio praediti, ut Ioannes de Zredna, circumstabant. Ianus Pannonius autem, cui ille avunculus fuit, postquam in poesi excellens tota Italia maximam laudem adeptus est, in Hungariam revertens viginti et quinque annorum iuvenis mox in aula regis recipitur et lateri Mathiae adiungitur.⁹⁶ Episcopo Quinqueecclesiarum a. 1459. mortuo Mathias rex effecit, ut Ianus Pannonius ei sufficeretur, qui anno 1459. exeunte sive potius insequenti anno episcopus Quinqueecclesiensis creatur. Deinde novus rerum ordo in vita initium capit. Intentior ac diligentior rerum publicarum particeps fit, quae tunc ad bellum contra Turcas vergebant. Omnes tota Europa a Mathia rege Turcas expelli sperabant, id quod rex facere se paratum ostendit, nam hostes Hungariae quoque magis atque magis minitabantur.

Mortuo Murad sultano a. 1451. Mohamed II. sultanus creatur. Eo regnante Turcae infestius bellum Europae inferre coeperunt et Byzantio a. 1454. capto brevi paene omnia regna, quae usque ad Danubium exstiterant, occupaverunt. Ioannes Hunyadi quoad vixit, impetus eorum felicissime rettudit. A. 1459. iam in Hungariam quoque invadunt et agros usque ad oppida Csanádinum et Aradínium pervastant.

Quae tempora incitaverunt Ianum Pannonium, ut orationem Demosthenis contra Philippum habitam in Latinum converteret. Verisimile est eodem tempore iam episcopum plus centum versibus ex Iliadis sexto libro Latine interpretatum esse. Quam interpretationem Galeotto Martio amico dedicat, quae dedicatio Ianum Pannonium valde desperantem ostendit. Quam interpretationem „eo libentius feci,“ — scribit⁹⁷ — „ut hoc uno compendio tam Graecae literas, quam versificandi usum, longo tandem postliminio repeterem; quarum duarum rerum, ab ineunte, ut nosti, pueritia, semper fueram studiosus; sed iam pridem ambas aequae amiseram, cum aliis occupationibus districtus, tum quod in hac nostra barbaria, nec librorum copia dabatur, nec qui excitare studium posset, usquam applaudebat auditor.“

Oratio Demosthenis Adversus epistolam Philippi.

Quo anno Ianus Pannonius orationem Demosthenis, quae *Πρὸς τὴν ἐπιστολὴν τὴν Φιλίππου* inscribitur, interpretatus sit, nescimus; quia nemini dedicavit. Certum habemus eum iam tunc episcopum fuisse. Ianus Pannonius enim in Lipsiensi et Vindobonensi codicibus⁹⁸ duorum libellorum Plutarchi conversorum, quos supra tractavimus, sic inscribitur: „Ianus Pannonius postea Episcopus Quinqueecclesiensis.“ Haec autem oratio in codice unico Lipsiensi sic: „R. d. Iohannes Pannonius Episcopus Quinqueecclesiarum.“ Habemus documentum, quod nobis satis certo demonstrare videtur Ianum Pannonium hanc orationem circa annum 1460. convertisse. Is enim in dedicatione libri Plutarchi, quae inscribuntur *Dicta regum et imperatorum*, a se anno 1467. conversi, de quo paulo post plura loquemur, dicit⁹⁹ se septennali iam intermissione Graecarum litterarum librum Plutarchi, quae *Dicta regum et imperatorum* inscribuntur, convertere destinavisse. Qui annus qua de causa fere 1460. dici potest.

Fieri potest, ut Ianus Pannonius hanc interpretationem amico, M. Aurelio miserit, id quod vel ex eo intellegitur, quod et in codice Lipsiensi¹⁰⁰ et in editione prima Bononiensi¹⁰¹ a. 1522. libri Plutarchi, qui inscribuntur *Quibus modis ab inimicis iuari possimus?* et *De negotiositate*, conversi et haec oratio Demosthenis translata una reperiuntur. Ianus Pannonius haec scribit in dedicatione libri conversi, qui inscribitur *De negotiositate*:¹⁰² „Cui (sc. libro converso, qui *Quibus modis ab inimicis iuari possimus?* inscribitur) et hoc annectendum curabis.“ Fortasse M. Aurelius iterum adhortationibus Ianum Pannonium impulit, ut interpretaretur.

Verisimile est Ianum Pannonium iam tum decrevisse de Demosthene convertere, cum in dedicatione libri conversi, qui *De negotiositate* inscribitur, haec scripsit:¹⁰³ „Nec orationes nec historiae tam sunt difficiles translata, quam scripta philosophorum.“ Cui autem alia momenta quoque accedebant, id quod et ipse significat, cum post argumentum orationis haec scribit:¹⁰⁴ „Quam ego potissimum orationem ideo transtuli, quia oppido convenire visa est praesentibus Christianorum rebus contra Turcam.“

Reliquum est, ut de titulo libri a Iano Pannonio converso pauca verba faciamus. In codice Lipsiensi¹⁰⁵ hunc titulum invenimus: „*Oratio Demosthenis adversus epistolam Philippi.*“ Qui titulus a Iano Pannonio conversus esse videtur, verbum verbo redditum est.

Periodus tertia.

Deinde septem anni labebantur, dum Ianus Pannonius iterum librum Graecum in Latinum convertit. Qui septem anni pleni negotiorum erant. Operae episcopi viginti sex annos nati iuvenis duplicantur et iam a. 1462. die 28. Septembris maxima cum acerbitate haec scribit in epistola quadam ad cardinalem Susannae scripta:¹⁰⁶ „Nam quicquid de me rumor personet, ut verum ingenue fatear, nec animi virtutibus adeo unquam excellui; et si quid studiorum olim in Italia hauseram, ea mihi omnia, oblivione et longa desuetudine iam effluerunt.“ Similiter scribit eodem anno in litteris ad Raphaelem Tonenzonium scriptis:¹⁰⁷ „De me . . . ipso parcius te loqui et sentire velim. Non sum ego is, quem vel tu existimas vel fama decantat. Si quid etiam olim de fonte Guarini nostri . . . hauseram, id tam longa intermissione exaruit.“ Hoc epigramma quoque his temporibus scriptum esse videtur:¹⁰⁸

In Latiis, scripsi fortasse Latinius, oris,
At nunc barbarico, barbara, in orbe crepo.
Hic Maro ponatur; fiet lyra rauca Maronis,
Huc Cicero veniat, mutus erit Cicero.

Dolorem maximum Iani Pannonii in his verbis sentimus. Nunc Budae, nunc Quinqueecclesiis moratur, ut ex epistolis elucet.¹⁰⁹

Interea Turcae intercurSIONibus saepius in Hungariam invadunt. A. 1463. Ianus Pannonius haec scribit:¹¹⁰ „vim meam omnem, quantulacunque est, libens impendo et ob hanc maxime causam lateri regi diutius adhaereo.“ Eodem anno Mathias rex iam contra Turcas bellum gerit. Tunc, a. 1463. extremo mater Barbara moritur.¹¹¹ Insequenti anno et ipse contra Turcas it, sed in castris in morbum incidit¹¹² et mox Quinqueecclesias revertitur.

Mathias rex codices Latinos a Iano Pannonio Bibliothecae Corvinae per Galeottum Martium rogavit.¹¹³ Ianus Pannonius invitatus paruit. Cum Mathias rex iterum petiit, Galeotto Martio haec scribit:¹¹⁴ „ . . . suades, ut libros mittam. An nondum etiam satis misisse videor? Graeci mihi soli restant, Latinos iam omnes abstulistis. Dii melius! quod nemo vestrum Graece scit! Puto et ex Graecis nullum mihi fecissetis reliquum. Quodsi didiceritis, ego mox Iudaicum ediscam; et ex Ebraeis codicibus Bibliothecam inscribam . . .“

Proximo anno avunculus eius Ioannes de Zredna archiepiscopus Strigoniensis creatur, ipse autem legatus iussu Mathiae regis Romam it Paulum II. papam salutatum,¹¹⁵ qui eodem anno papa electus est. Cum reverteretur, amicum carissimum, Baptistam Guarinum Ferrariae convenit, mox in Hungariam rediit. A. 1466. iterum aegrotabat.¹¹⁶

Liber Plutarchi: Dicta regum et imperatorum.

Ianus Pannonius septem annis post, quam orationem Demosthenis in Latinum transtulerat, iterum de Plutarcho convertere constituit et librum, quae *Ἀποφθέγματα βασιλέων καὶ στρατηγῶν* inscribuntur. Hanc interpretationem a. 1467. finivit et Mathiae regi dedicavit. Quae dedicatio, sicut ceterae quoque, nobis permulta indicia de libro translato praebet. Cum apud Plutarchum multa praeclara lectitaret, — scribit Ianus Pannonius,¹¹⁷ — occurrisse sibi librum de dictis regum et imperatorum. Quem cum ipse evolvisset, se demiratum esse tot doctos huius saeculi viros, cum fere pleraque omnia eius scriptoris traduxerint, opus tam necessarium praeterisse. Proinde quasi sibi reservatum, licet nec codices ad id opportunos, nec quemquam praeter se ipsum haberet, quem in dubiis consulere posset, ac septennali iam intermissione Graecarum litterarum et alioquin tenuem notitiam amisisset, tamen convertere destinavisse, existimantem satius esse volumen tam egregium quocumque modo translatum ab omnibus Latinis agnosci, quam prorsus intactum inter paucos Graece scientes delitescere. Cum librum non ita multis noctibus coeptum absolvisset et subinde cogitaret, cui potissimum lucubratiunculam eam, ut moris esset, inscriberet, se decrevisse Mathiae regi dedicare. Se Plutarchum in interpretando quam verissime exprimere tentavisse. Quem libellum plurimas et nobilissimas sententias veterum virorum in compendio breviter collectas complexum esse. Extrema dedicatione legimus:¹¹⁸ „Quinque ecclesiis. Idibus Octobris. 1467.“

Quod demum ad titulum a Iano Pannonio conversum attinet, in codice unico Lipsiensi non inscriptus est. Post dedicationem hic titulus legitur:¹¹⁹ „Plutarchi ad Traianum Caesarem Dicta Regum et Imperatorum.“

Ceterum codex mutilus et mancus est; in extrema interpretatione nonnulli versus desunt.¹²⁰

Ianus Pannonius, ut vidimus, haud multos libros scriptorum Graecorum in Latinum convertit. Ipse has interpretationes non magni aestimavit. In dedicatione libelli conversi, qui Quibus modis ab inimicis iuvari possimus? inscribitur, ipse scribit:¹²¹ „... Quod ad opusculum ipsum pertinet, nec ego id tibi admodum commendo, nec emitti abs te in vulgus magnopere cupio; quoniam ex ea re laudem nolo consequi, quam laudis gratia non sum ingressus.“ Posteritati quoque non magnopere curae erant, id quod vel ex eo intellegitur, quod, etsi Ioannes Sambucus orationem Demosthenis, quae *Ἐπεὶ Κτησιφώντος περὶ τοῦ στεφάνου* inscribitur, certo a Iano Pannonio conversam habuit, tamen typis excudendam non curavit, cum carmina complura prelo mandavit a. 1569. Praeterea quod eadem oratio Eugenium Ábel, cum codices omnes, qui eo tempore noti fuerunt, opera Iani Pannonii complectentes diligentissime et accuratissime conquirens enumeraret,¹²² praeteriit. Idem invenit et primus edidit a. 1880. librum Plutarchi a Iano Pannonio conversum, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur. Solum nonnullos codices interpretationum habemus. Duo libelli Plutarchi et oratio Demosthenis solum bis typis excudebantur.

PARS QUARTA.

De scribendi genere Iani Pannonii in interpretationibus.

Ianus Pannonius prorsus alio scribendi genere utitur in interpretationibus, atque in epistolis, orationibus, carminibus. Dum in his propior stat aetati-suae, in interpretationibus necessario pura et incorrupta Latini sermonis integritas magis apparet, qua de causa solum nonnulla mediae Latinitatis verba in iis inveniuntur. Denique Ianus Pannonius aetate, quae dicitur media, natus est, eam linguam Latinam didicit loqui, quam et in schola et per totam Italiam loquebantur, id est, quae haud pura et incorrupta lingua Latina existimatur. Cum autem ex Italia in Hungariam reverteretur, iam non habuit occasionem linguae Latinae et praecipue Graecae accuratius et subtilius et diligentius descendae. Latine plane et perfecte scivit, Graecam autem linguam extrema vita quoque facillime intellexit. Qui enim sine commentariorum auxilio, ut videtur, librum Plutarchi, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur, in Latinum convertere potuit, is optime Graecam linguam scivit. Dum Ianus Pannonius in Italia duos libellos Plutarchi in Latinum transtulit, alios Graecae linguae scientes in dubiis de interpretatione rogare videtur, quod ex eo intellegitur, quod haec scribit in dedicatione libri conversi, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur:¹²³ „Licet nec codices ad id opportunos, nec quemquam praeter me ipsum haberem, tamen (librum) convertere destinavi.“ In libris conversis verba Graeci scriptoris semper intellegit, tunc quoque, cum commentarii auxilio ei non fuerunt, ut in libro Plutarchi interpretando, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur.

Baptista Guarinus, Guarini Veronensis filius et amicus Iani Pannonii, rogatu M. Aurelii, qui, ut vidimus, Ianum Pannonium quoque hortatus est, ut converteret, in Latinum duas orationes Demosthenis transtulit.¹²⁴ Is in dedicatione ad M. Aurelium scripta,

quomodo orationes Demosthenis in Latinum converteridae sint, describit, id quod etiam aliis scriptoribus Graecis transferendis accomodari potest. Et quoniam Ianus Pannonius, sicut Baptista Guarinus discipuli Guarini Veronensis fuerant, hoc modo ambo ea ratione et via in convertendis scriptorum Graecorum in Latinum convertendis postea utebantur, quam in schola eius didicerant. Quo anno Baptista Guarinus orationes Demosthenis in Latinum converterit, nescimus.

Quibus modis orationem Demosthenis in Latinum transtulerit, haec scribit:¹²⁵ „ . . . quantum per me fieri potuit elaboravi, ut servatis sententiis verba quoque quae alicuius ponderis esse videbantur exprimerem et modum ipsum loquendi (quod ita te optare significaveras) neglecto interdum sermonis latini ornatu secutus sum. In magistratibus et iudiciis et locis quibusdam tum quia res apud nostros et vocabulum deerat graeco nomine usus fui: tum latinum apposui quamvis forte non idem sit apud latinos quod apud graecos: sed quia nihil in ea re momenti esse videbatur putavi res clariores fore si latinis nominibus dicerentur.“

Fere hac ratione et via in libris transferendis Ianus Pannonius quoque utitur, ut infra uberius videbimus.

Si scribendi genus Iani Pannonii in interpretationibus breviter notare volumus, versum Horatii citabimus:¹²⁶

... Verbo verbum... reddere fidus
Interpres ...

Graecorum Ianus Pannonius est. Et quamquam ille fidus interpres iure dici potest, tamen a consuetudine Latini sermonis non abhorret, non alienum est.

Ianus Pannonius brevi tempore libros in Latinum convertit. Sic libellus translatus Plutarchi, qui De negotiositate inscribitur, tribus mensibus post secutus est libellum conversum Plutarchi, qui Quibus modis ab inimicus iuvari possimus? inscribitur. Baptistae Guarino quoque libri interpretati valde cito perfecti videntur, cum sic exclamat in epistola quadam:¹²⁷ „Quid? litteras graecas quam avide arripuit, quas velut diurnam sitim explere cupiens uno anno a primis eius linguae rudimentis ita prorsus hausit, ut graeca volumina in Latinum converteret.“ Item Ianus Pannonius scribit in dedicatione libri conversi, quae Dicta regum et impera-

torum inscribuntur, se non ita multis noctibus coeptum volumen absolvisse.¹²⁸

Nunc autem breviter adumbrare debemus, quomodo interpretationes, id quod ad genus scribendi attineat, coniungantur.

In prima periodo Ianus Pannonius in Italia annis 1456. et 1457., cum libros in Latinum converteret, codices commentariis instructos habuisse videtur et fieri potest, ut ibi Graecae linguae doctos de interpretatione consuluerit. Haec enim e verbis dedicationis libri, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur, suspicamur.¹²⁹ „(Librum Plutarchi,) licet nec codices ad id opportunos, nec quemquam praeter me ipsum haberem, quem in dubiis consulere possem, . . . tamen convertere destinavi.“ Ipsa interpretatio fida est, facile intellegi potest. Ianus Pannonius hos libellos in dedicatione libri, qui De negotiositate inscribitur, haud faciles convertendo iudicat.¹³⁰ „Quod si toto in opere dicendi venustatem desiderabis; fac primum cogites; quam aegre procedat omnis traductio; tum quod nec orationes, nec historiae tam sunt difficiles translato, quam scripta philosophorum, in quibus si modo sententiam recte verteris, magna felicitas est cetera non omnino insipida videri.“ Cum hos duos libellos conversos tractamus, Ianum Pannonium adhortationibus et crebris incitationibus M. Aurelii impulsus libellos in Latinum convertisse nobis observandum est.

In altera periodo iam orationem parvam Demosthenis in Latinum transtulit in Hungaria circa annum 1460. episcopus Quinqueecclesiensis. Quae parva oratio interpretata propter breviter non decerni potest, ususne sit Ianus Pannonius codice commentariis instructo necne. Interpretatio ipsa haud multum differt, id quod ad scribendi genus in interpretationibus attinet, a libellis Plutarchi conversis, quos in Italia confecit.

Septem annis transactis tertium liberos Graecos in Latinum transferre a. 1467. aggreditur. Ianus Pannonius in dedicatione ad Mathiam regem scripta queritur se nec codices ad id opportunos, nec quemquam praeter se habere, quem in dubiis consulere possit ac septennali iam intermissione Graecarum litterarum et alioquin tenuem notitiam funditus amisisse.¹³¹ Hunc librum sui delectandi causa convertisse videtur.

Genus scribendi Iani Pannonii necessario in libris convertendis mutatur. In prima periodo opera philosophica Plutarchi, in altera orationem Demosthenis, in tertia librum Plutarchi convertit,



quod opus philosophicum non dici potest. In prima periodo maiores difficultates apparuerunt et propter genus scribendi Plutarchi et aetatem et doctrinam. Ipse dicit in dedicatione libri, qui Quibus modis ab inimicis iuari possimus? inscribitur:¹³² „Quod ad opusculum ipsum pertinet, . . . vituperationem non debeo, cum nec doctrina ea sit, ut citra veniae meritum quicquam potuerit a nobis delin- qui.“ Et in dedicatione libri Plutarchi, qui De negotiositate inscribitur:¹³³ „nec orationes, nec historiae sunt tam difficiles translato, quam scripta philosophorum, in quibus si modo sententiam recte verteris, magna felicitas est cetera non omnino insipida videri.“

In oratione Demosthenis convertenda non multis annis post iam minores difficultates exstabant. Liber autem Plutarchi, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur, a Iano Pannonio iam triginta quattuor annos nato, quamquam septem annos Graecis litteris non studuit, tamen difficilis translato non videtur, quem ceterum quam fidissime in Latinum convertit.

Qua de causa in inferiore parte imprimis e libellis Plutarchi conversis, qui inscribuntur Quibus modis ab inimicis iuari possimus? et De negotiositate, exempla generis scribendi Iani Pannonii proferemus, ubi saepius a verbis scriptoris discedere cogitur.

Ceterum interpretationes inter se non multum, quod ad scribendi genus attinet, differunt.

I. Ianus Pannonius Latini sermonis gratia non illum verbum reddit, quod Graecum re vera significat: *συνελαίνω* I. 2. :* im- pingo 6. — *καταπέτω* I. 2. : digero 6. — *νοσώδης* I. 2. : lan- gvidus 6. — *ἐχομαι* I. 3. : consector 7. — *καθαρός* I. 3., 4. : sincerus 7., 9. — *φάβλος* I. 3. : vitiosus 7. — *πεπονητός* I. 3. : perturbatus 7. — *νικώμενος* I. 4. : succumbens 9. — *ἀποστρέφω* I. 4. : coerceo

* *Apuđ Graecum verbum* I. significat libellum Plutarchi, qui Quibus modis ab inimicis iuari possimus? inscribitur; II. notat libellum Plutarchi, qui De negotiositate est; III. signat orationem Demosthenis, quae Adversus epistolam Philippi habita est. Praeter hanc numeri Latini notam numerus Arabicus caput significat; in libro, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur, verum, qui dictum locutus est, et caput numero Latino notamus. — *Apuđ verbum Latinum* numero Latino paginam editionis com. Samuelis Teleki et Eugenii Ábel signamus; et quidem editio com. Samuelis Teleki libellos Plutarchi, qui inscribuntur Quibus modis ab inimicis iuari possimus? et De negotiositate et orationem Demosthenis, quae Adversus epistolam Philippi habita est, continet, editio autem Eugenii Ábel librum Plutarchi, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur, complectitur.

9. — ἀνόλατος I. 4.: impudicus 9. — λυπηρός I. 4.: gravis 10. — γνήσιος I. 6.: sincerus 12. — φῦμα I. 6.: vitium 12. — βέλτιον I. 8.: satius 16. — σκᾶμμα I. 8.: morsus 16. — ἀσχάλλω I. 8.: prorumpo 16. — ἐγγίγνομαι I. 9.: inhaereo 18. — κενεόφρων I. 10.: protervus 19. — τροφή I. 10.: solum 20. — περιέπω I. 10.: emitigo 20. — φιλοπονία I. 10.: moderatio 20. — δεκάζω I. 11.: defero 21. — δειπνίζω I. 11.: ineptio 21. — ἐπιλογίζομαι I. 11.: annitor 22. — ἔπνους II. 1.: praefocatus 22. — μικρολογία II. 1.: angustiae 24. — διάτα II. 1.: diversorium 24. — ὁ νέος II. 2.: spectator 25. — χάριτες II. 4.: largitiones 28. — συνιστάμενος II. 4.: condensus 28. — ὕλη II. 5.: materia 29. — ζητέω II. 7.: resupino 32. — σπουδαίος II. 12.: praeclarus 39. — τὸ ἀπερίσπαστον II. 12.: otium 40. — οἱ πολλοί II. 15., III. 10.: imperiti 43., multitudo 49. — πολεμέω III. 6.: dissideo 48. — βία III. 7.: malitia 48. — ὄσπη III. 8.: momentum 49. — φιλιάνθρωπος Praef. libri Plutarchi, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur: perhumanus 32.

II. Nonnullis Graecis vocabulis, qui termini technici vocantur, in lingua Latina quoque verba aptiora quaerit: μέθοδος I. 2.: ingressus 4. — ὄργανον I. 2., II. 7.: instrumentum 5., arma 32. — μελέτη I. 3.: studium 7. — τεχνίτης I. 3.: magister 8. — λόγος I. 4.: disciplina 9. — φιληδονία I. 4.: voluptas 10. — ζηλονυμία II. 5.: aemulatio 30. — ταμίης Artax. 4.: quaestor 34. — ταμείον C. Caes. 8.: aerarium 82.

III. Sunt Graeca vocabula, quae non uno verbo reddit, vel quod in lingua Latina aptius verbum non est, vel quod intelligendi gratia pluribus verbis convertere Iano Pannonio melius visum est: ἀνυπόστατος I. 1.: ab omni sollicitudine vacuus 3. — ἀθηρός I. 1.: bestiarum expers 3. — πολιτεία I. 1., I. 10.: civilis vita 3., res publica administranda 20. — πρόχειρον I. 1., 3.: praemanibus 4., 8. — ἀποτος I. 2.: insvavis potu 5. — τάλλα I. 2.: ceteris in rebus 5. — χοῆσις I. 2.: usus et modus 5. — ἀπραγμοσύνη I. 2.: vacatio in negotiis 5. — ναυσιάω I. 2.: cum nausea repello 6. — πολυπραγμονέω I. 3., II. 4.: curiosissimus sum 6., scire cupiens sum 27. — ἀπερισκέπτως I. 3.: parum circumspicere 7. — διαφυλάττω I. 3.: perpetuo conservare 7. — τὰ πάθη I. 3., I. 10.: pravi appetitus 7., animorum motus 19. — χορδολογέω I. 3.: chordas legere 8. — μεγαλοφροσύνη I. 4.: magnitudo animi 9. — σωφρονέω καὶ ἀληθεύω I. 4.: moderationem colo ac veridi-

centiam 9. — τὸ φιλομαθές I. 4.: cupiditas discendi 10. — ἀσχημόνεω I. 5.: deforme aliquid facio 10. — μεταμορμύττω I. 5.: transformatum emendo 10. — παιδομανής I. 5.: puerorum insanus 11. — ἐσώθην I. 6.: incolumitati restitutus sum 12. — διαβάλλω I. 6.: criminationem affero 13. — ἀμελέω I. 7.: parvifacio (sic) 14. — στίονδάζομαι I. 7.: studium impendeo 14. — σύνεμι I. 7.: penes me habeo 14. — συνήθης I. 7.: necessitudine coniunctus 15. — ἀκονοσίως I. 8.: contra voluntatem 15. — πανταχοῦ I. 8.: omnibus in locis 15. — ἐπιεικές I. 9.: bonum et aequum 16. — συμπαθέω I. 9.: cum miseratione prosequor 16. — τὸ δύσζηλον I. 9.: malae aemulationes 17. — φιλόφθονος I. 9.: livoris cupiditas 17. — μνησικακία I. 9.: in mentibus similtas 17. — ἀφελέομαι I. 10.: emolumentum capio 19. — αἱ συνηγορίαί I. 10.: causae agendae 20. — συντείνω I. 10.: mentem intendo 21. — μισθαρνέω I. 11.: operam locare 21. — ἀνελεύθερος I. 11.: minime liberalis 21. — ἐνοχλέω I. 11.: molestiae sum 21. — κατορθόω I. 11.: officio perfungi 22. — φιλομάθεια II. 1.: libido pernoscendi 23. — ἴδιον II. 1.: peculiaris locus 23. — διατριβή II. 1.: commorandi locus 24. — πυνθάνομαι II. 2.: sedulo percipio 25. — οὐ νομίζεται II. 3.: lex prohibet 26. — τυφλόμαι II. 4.: oculis capior 27—8. — σκυθρωπόν II. 4.: vultus tristitia 28. — ἀγέλαστον II. 4.: risus abstinentia 28. — δυσπρόσιτον II. 4.: difficultas adeundi 28. — μικρὸν ἢ μέγα II. 5.: pusilla an magna res 28. — προθύμως II. 6.: prompto animo 30. — φιλοπενεσία II. 6.: propensa quaedam disquisitio 31. — μισεομαι II. 7.: odio habeor 32. — τὸ δεῖγμα II. 8.: lux hominum 33. — πολυμάθεια II. 9.: multarum rerum scientia 34. — ἔπομαι II. 9.: comes sum 34. — οἰκονρέω II. 12.: custodiam ago 40. — νοητά II. 12.: res intellectuales 40. — παρόδιος II. 12.: in vias spectans 40. — ἀκροατήριον II. 15.: audientium coetus 44. — ἀποτυμπανίζω II. 16.: fustibus necare 44. — ἀφειδῶς III. 2.: nulli prorsus rei parcendo 47. — ἀξάνομαι III. 3.: incrementum capio 47. — φιλότιμος III. 12.: ambitione praeditus 50. — δυσπολέμητος III. 15.: non facile expugnabilis 51. — παρορησιάζω III. 17.: liberalitate utor 51. — ἰδιώτης Praef. libri Plutarchi, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur: vulgaris homo 32. — φοιὰ Dar. 3.: malum punicum 33. — σώζω Pelop. 2.: saluti meae consulo 65. — δεδακρυμένος Aem. Paul.: lacrimis oculos suffusus 69.

IV. Nonnullas Graecas elocutiones pluribus verbis exponit, quia incorruptam Latini sermonis integritatem offendere noluit:

βίος ἀνεπίλητος I. 3.: vita nulli prorsus calumniae obnoxia 7. — ἐνδύου τῆ ψυχῇ I. 4.: insere penitus mentem 9. — οὐκ ἐδάκρυσας I. 5.: ne lacrymulam quidem effundisti 11. — ἀλοιδορήτος καὶ ἀνέγκλητος I. 5.: ab omni opprobrio et crimine remotus 11. — σύνεγγυς ἢ ὁμοιον I. 6.: proximum aut simile commissum 13. — μαθεῖν τι τῶν λανθανόντων I. 7.: ad cuiuspiam occultae nobis rei notitiam perducere 14. — μόνον μὴ τῶν ἀπορρήτων II. 4.: quidlibet arcanis tantum exceptis 28. — γλυκύπιπρός ἐστιν II. 14.: dulcem quandam habet amaritudinem 43. — τῆ δόξῃ φθονήσας II. 15.: gloriae hominis invidia permotus 43.

V. E constructionibus, ut participium coniunctum et genitivus absolutus, persaepe alteram sententiam efficit: πολιτεία . . . φθόνον ἐνηνοχία I. 1.: civilis . . . vita, quae . . . invidiam attulerit 3. — Χίλων ὁ σοφὸς νοήσας . . . ἠρώτησεν I. 1.: cum . . . Chilon ille sapiens intellexeret, . . . rogavit 3. — οἱ δὲ ὑστερον ἤδη χηρῶσαι μαθόντες αὐτοῖς I. 2.: posteriores vero, quoniam iis uti iam didicerunt . . . 4. — τῶν θηρίων ἐκλιπόντων τῷ ἀνθρώπῳ I. 2.: si ferae desint homini 4. — τὰ βουλόμενα διερευνώμενος I. 3.: rimatur, quid consultes 6. — οἱ συνδιατρίψαντες III. 12.: omnes, qui cum eo versati sunt 50.

VI. Graecas locutiones uno verbo brevissime exponit: ὁ νοῦν ἔχων I. 1.: prudens 4. — πόμπιμὸν ἐστιν I. 2.: navigatur 5. — πορεύσιμον ὄχημα I. 2.: veluti vehiculum 5. — θερμότητα παρέχει I. 2.: calefacit 5. — στέρησις πατρίδος I. 2.: exilium 5. — οὐκ ἀκριβῶς I. 3.: remisse 8. — κακῶς λέγω I. 6., 8.: obloquor 12. obiurgo 16. — λισσὰς πέτρα I. 8.: scopulum 16. — οὐδ' ἐπαίνου φειστέον οὐδὲ τιμῆς I. 9.: laudandum et honorandum 17. — ταπεινὰ ποιέω I. 9.: subigo 18. — τὰς ἀμίλλας ποιέω I. 10.: certo 20. — καταλύω εἰς ἔδαφος II. 1.: demolior 23. — ἔξω πρόκειται II. 4.: prosistit 28. — σκεναὶ φαρμάκων II. 5.: veneficia 30. — ἐν μηδενὶ λόγῳ τιθεῖς II. 10.: floccipendens 37. — εὐτονώτερον ἐμρῶμαι II. 11.: inhaereo 38. — καθ' ἐκάστην τὴν ἡμέραν III. 9.: quotidie 49.

VII. Quod in Graeco ἐν διὰ δυοῖν est, Ianus Pannonius persaepe uno verbo exprimit: λοιδορέω καὶ σκώπτω I. 5. bis: exprobro, mordeo 10. — ὠφέλιμον καὶ χρήσιμον I. 6.: hoc utilitatis 11. — λοιδορέομαι καὶ κακῶς ἀκούω I. 6.: reprehendor 12. — πατήρ καὶ μήτηρ I. 8.: parentes 16. — ἐκ τοῦ πράττειν τι καὶ ζηλοῦν I. 10.: ab elaborando 20.

VIII. Enuntiationes nonnumquam brevissime exponit: *πρὸς τοῦναντίον ἀπευθύνει καὶ ἀποστρέφει* I. 5.: vertit in contrarium 10. — *λαλία χρῆσθαι θρασυτέρα πρὸς ἄνδρα* I. 6.: virorum appellatio confidentior 13. — *τὸ καθαρὸν τοῦ βίου καὶ ἀνύβριστον* I. 11.: innocentia 21.

IX. Sententias et elocutiones raro sermonis Latini gratia conformat: *πόλεις εὐνομίαν καὶ πολιτείαν ὑγιαίνουσαν ἠγάπησαν* I. 3.: civitates salutarem optimarum legum et rei publicae curam magis amplectuntur 7. — *εἰ ἐθέλεις ἀνίαν τὸν μισοῦντα* I. 4.: potes, si libet, inimicum afficere tristitia 9. — *ὁ Ἴέρων εἰς τὴν δυσοδίαν ἐλοιδορήθη τοῦ στόματος* I. 7.: Hieroni . . . exprobratum fuit animam foetere 14.

X. Nonnumquam perspicuitatis gratia sententiam amplificat: *ὄργανον* I. 3.: instrumentum musicum 8. — *συνεπιστρέφω* I. 3.: ad meliora converto 8. — *ἂν ἀπαιδευτον εἶπη σε* I. 4.: si autem inimicus tibi detrahit, si te dicat ineruditum 10. — *καικίας* I. 4: Caecias ventus 10. — *Κράσσος δὲ . . .* I. 6.: Crassus autem culpam subiit. — *ἄκακος* I. 7.: minime malitiosa mulier 14. — *ὥσπερ γὰρ ἐν πολέμῳ* I. 9.: nempe ut in castris vel civitatibus — *διὰ τοῦτο συγκεκάλυπται* II. 3.: ideo inquit velatum est ut ignoretur 26. — *ιδρῦσαντο* II. 12.: veteres statuere 40. — *οἱ Διονύσιοι* II. 16.: Dionysiorum cura 44. — *ἵνα δὲ μὴ μακρολογῶ* III. 23.: postremo, ne sim longior 53. — *γρυπός* Cyr. 1.: adunco praeditus naso 33. — *τι τῶν μετρίων* Epam. 7.: mediocre quidpiam delictum 62.

XI. Accidit, ut invicem id, quod in Graeco est, non interpretetur:¹³⁴ *ἠρώτων, εἴ τι μέλλει σήμερον συνάγειν ἢ πραγματεύεσθαι πρὸς τὴν κατηγορίαν* I. 9.: percontabantur, an esset eo die quicquam acturus? 18. — *φυλάττοντες τὸ αἰσθητήριον ἐπὶ τὸ οἰκεῖον ἔργον* II. 11.: sensum reservantes 38.

XII. Verbum Graecum Latinis litteris reddit, quae verba Latina in usu non sunt: *ρόπτρον* II. 3.: rhoptrum 26. — *ὀλυμπιονίκης* II. 12.: Olympionice 39.

XIII. Verbum Graecum Latinis litteris describit, deinde pluribus verbis exponit: *εἰτ' ἀλιτήριοι προσηγορεύθησαν* II. 16.: inde aliteriorum, hoc est, quasi molariorum appellationem sunt nacti 45. — *Βοιωτάρχης* Epam. 19.: Boeotarcha, id est, summus eorum magistratus 63.

XIV. Verbum Graecum Graecis litteris reddit, deinde pluribus verbis explicat: Πυθαγόρας ἔταξε . . . σιωπῆν, ἐχεμυθίαν προς-αγορεύσας II. 9.: Pythagoras silentium indixit, quam ἐχεμυθίαν id est fabulandi cohibitionem appellavit 34. — ὁ Φίλιππος, Πονηρόπολιν προσηγόρευσεν II. 10.: Philippus πονηρόπολιν id est improporum urbem nominavit 36. — τὴν νύκτα προσεῖπον εὐφρόνην II. 12.: noctem etiam εὐφρόνην a bene sapiendo nuncuparunt 40.

XV. Solūm nonnullis verbis mediae Latinitatis utitur:¹³⁵ emansvefacio 5. (ἐξήμερόω I. 2.) — eraucio 12. (ισχνόφωνος γέγονα I. 6.) — potentatus (-us) 21. (προεδρία I. 11.) — svasito 25. (παίθω II. 2.) — elotio 31. (λύμα II. 6.) — fabulamentum 31. (διήχημα II. 6.) — intervallatim 35. (διὰ χρόνου II. 10.) — pellecto 34. (παρακαλέω Cyr. min) — querulor 41. (ἐγκαλέω Phil. pat. Alex. 15.) — emutilatus 45. (ἀνάπηρος Alex. 21.)

Ianus Pannonius, ut ex his verbis ad scribendi genus attentibus satis elucet, omni modo fidissimum interpretem Graecorum scriptorum se ostendit. Maxime librum, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur, ad verbum expressit, minus libellos Plutarchi, ubi nonnullae elocutiones, opera enim philosophica sunt, intellectu difficiliores sunt, quam ceteri libri ab eo conversi, quos transtulit.

Quam fidissimus paene totidem verbis transtulerit verba scriptoris Graeci, demonstrandi causa comparabimus partem e libro Plutarchi, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur et eandem a Iano Pannonio conversam.

Πλουτάρχου Ἀποφθέγματα βασιλέων
καὶ στρατηγῶν. Σεμιράμιδος.

Σεμίραμις δὲ ἐαυτῇ κατασκευάσασα
τάφον, ἐπέγραψεν, "Ὅστις ἂν χρημάτων
δεθῆ βασιλεύς, διέλονται τὸ μνημεῖον,
δοσα βούλεται, λαβεῖν. Δαρείος οὖν δι-
ελών, χρήματα μὲν οὐκ εἶδε, γράμμασι
δὲ ἑτέροις ἐνέτωχε τάδε φράζουσιν. Εἰ
μὴ κακὸς ἦσθ' ἀνὴρ καὶ χρημάτων
ἄπλησιος, οὐκ ἂν νεκρῶν θήκας ἐκίνοις.

Ábel: Adalékok a humanismus för-
ténetéhez Magyarországon p. 34.

Semiramis, cum ipsa sibi sepul-
crum paravisset, inscripsit: quicum-
que regum pecunia indigeret, disiecto
monumento quantam velit, acceptu-
rum. Quod demolitus Darius pecu-
niam quidem minime invenit in alias
autem litteras incidit ita loquentes:
nisi vir esses improbus et pecunia
inexplicabilis, nequaquam mortuorum
loculos sollicitares.

Ex interpretationibus intellegitur, quam plurima verba Latina et necessario Graeca Ianus Pannonius noverit; nam permultis Latinis verbis utitur, multo pluribus, quam in ceteris operibus. In his interpretationibus pauciora mediae Latinitatis verba necessario usurpat, quam in epistolis et orationibus et carminibus.

Eundem libellum Plutarchi, qui Quibus modis ab inimicis iuvari possimus? inscribitur, ut iam memoravimus, Ludovicus Odaxius Patavinus quoque in Latinum convertit. Si interpretationes Iani Pannonii et Ludovici Odaxii accurate et diligenter spectares, inter se comparares, videbis Odaxium magis exercitatum et versatum esse in libris interpretandis, quam Ianus Pannonius, interpretatio enim eius multo volubilior et solutior dici potest.

Comparemus nunc exempli gratia has interpretationes cum verbis scriptoris Graeci :

Πλουτάρχου Πῶς ἂν τις ἔπ' ἐχθρῶν ὠφελούτο c. 3.

Πρῶτον μὲν οὖν δοκεῖ μοι τῆς ἐχθρας τὸ βλαβερώτατον ὠφελιμώτατον ἂν γενέσθαι τοῖς προσέχουσιν. Τί δὲ τοῦτο ἐστίν; Ἐφεδρεῦει σου τοῖς πράγμασιν ἐργηγοῦς ὁ ἐχθρὸς αἰεὶ, καὶ λαβὴν ζητῶν πανταχόθεν περιοδεῦει τὸν βίον, οὐ διὰ δρυὸς μόνον δρῶν, ὡς ὁ Λυγκεύς, οὐδὲ διὰ λίθων καὶ δοιράκων, ἀλλὰ καὶ διὰ φίλου καὶ οἰκέτου, καὶ διὰ συνήθους παντός, ὡς ἀνυστὸν ἐστὶ φρωῶν τὰ πραττόμενα, καὶ τὰ βουλευόμενα διορῶντων καὶ διερευνώμενος.

Teleki: Iani Pannonii Opusculorum pars II. : p. 6.

Iam primum arbitror, id quod est in inimicitiiis nocentissimum, si quis diligentius animadvertat, fieri posse utilissimum. Sed quidnam est istud? Insidiatur semper negotiis tuis vigilans inimicus, ac ansam quaeritans, vitam tuam omni ex parte circuit; nec per quercum modo aut lapides et testas inspicit ut Lynceus, verum etiam per amicum et servum ac familiarem quemlibet explorat, quantum potest, quid agas, pertundit et rimatur quid consultes.

Cod. Urb. Lat 1432.¹³⁶ fol. 6r.

Primum itaque quicquid in inimicitiiis perniciosissimum est, advertentibus utilissimum fore mihi videtur. Quid hoc est rei? Inimicus perpetua vigilantia negotiis tuis insidiatur: et causam quaerens unde quaeque vitam circuit. Neque per quercum: (ut de Lynceo traditur) neque per lapides: aut testas solum videt. Sed per amicos etiam: et familiares omnes, quoad fieri potest, actiones deprehendit: consiliaque effodit: ac scrutatur.

Ianus Pannonius iam discipulus Guarini Veronensis excelsissimum sibi nomen tota Italia paravit. Ipse papa, Nicolaus V. unum et vicesimum annum agenti iuveni negotium Homeri convertendi dat. Maximo ingenio praeditus sex et viginti annorum iuvenis episcopus creatur, mox dux et princeps renascentiae in Hungaria praeter Ioannem de Zredna fit. Unicus eo tempore Graecae linguae doctus in Hungaria habebatur.

Czvittinger de eo haec scribit:¹³⁷ „Ianus iste, Hungariam Graecae potissimum Latinaeque linguae scientia egregiae nobilitavit; quod ex elegantissimis eius operibus, tam suo Marte conditis, quam e Graeco in Latinum versis, abunde potest cognosci.“

Ianus Pannonius imprimis in poesi excelebat et immortalitatem propter carmina notissima atque excellentissima adeptus est.

Ipse iam a. 1464. sibi poscit palmam renascentiae Graecarum et Latinarum litterarum Hungariae primum inferendae, cum haec in sepulcro inscribi iubet.¹³⁸

Hic situs est Ianus, patrium qui primus ad Istrum,
Duxit laurigeras, ex Helicone, Deas . . .

PARS QUINTA.

De interpretatione falso attributa Iano Pannonio.

Vindobonae in Bibliotheca Nationali codex (saec. XV.?) orationem Demosthenis, quae *Ἐπεὶ Κτησιφώντος περὶ τοῦ στεφάνου* habita est, in Latinum translata complectens invenitur: Cod. Vindob. Lat. 3186.¹³⁹ Cuius codicis initium temporum iniquitate periit et tunc numeros paginarum inscripserunt.¹⁴⁰

In pagina extrema 76r. infra haec legi possunt:

Della translatione di Iano
Vescovo nostro pannonio
MCDLXI.

Primus, qui secundum hanc inscriptionem orationem Demosthenis a Iano Pannonio conversam affirmavit, Ioannes Sambucus erat. Is enim, cum opera Iani Pannonii Vindobonae a. 1569. edidit, in dedicatione editionis, postquam de Vitis Bruti et Galbae a Iano Pannonio conversis commemoravit, haec scribit:¹⁴¹ „qui (sc. I. Sambucus) pro Ctesiphonte huius ipsius (sc. Iani Pannonii) quoque versionem pene absolutam habeo.“

Codicem igitur Ioannes Sambucus habuit iam tunc mancum et mutilum. Unde acceperit aut emerit, nescimus; ipse enim de eo nusquam commemorat. Fieri potest, ut, cum iterum in Italia moratus est (a. 1562—63.) et codicibus describendis, coemendis, praeterea antiquitatibus colligendis operam dedit,¹⁴² ibi hunc codicem acceperit sive emerit, quod etiam inscriptio linguae Italicae demonstrare videtur. Pro certo habemus hanc inscriptionem non a Ioanne Sambuco scriptam esse, qua de re Ioannem Gerstingerum de Ioanne Sambuco optime merentem testor, qui hoc nobis codicem describentibus affirmavit. Bibliotheca Sambuci post eius mortem Bibliothecae Vindobonensi, quae olim Aulica dicebatur, adiuncta est.¹⁴³ Com. Samuel Teleki hanc codicem agnovit in Bibliotheca, haec enim scribit:¹⁴⁴ „... Sambucus... testatur, se... possidere Orationem Demosthenis pro Ctesiphonte paene absolutam a...

Pannonio interprete translata; quae haud dubie eadem est, quae hodieque, licet manca et mutila, in Augusta Vindobonensi Bibliotheca superest, Numero CXCI. Hodie numerus 3186. est.

Habemus igitur codicem, cuius initium periit, ubi certe nomen interpretis sive dedicatio fuit, extrema autem pagina hanc orationem a Iano Pannonio episcopo a. 1461. translata significat.

Imprimis nobis quaerendum esse videtur, quomodo haec linguae Italicae verba inscripta sint. Nam incredibile et haud verisimile esse nobis videtur hoc documentum n. tunc inscriptum esse, cum initium codicis nondum periit. Cuius enim in manus incidit codex, cum iam initium perierat, cognitum habens Ianum Pannonium episcopum creatum circa annum 1461. orationem quandam Demosthenis in Latinum convertisse, in extrema pagina orationem a Iano Pannonio episcopo a. 1461. interpretatam inscripsit. Virum natione Italum esse suspicamur.

Ianus Pannonius a. 1461. in Hungaria, plerumque Quinque-ecclesiis moratus est. Num scripsisset haec verba a. 1462. Ianus Pannonius, si priore anno talem maximam orationem, qualis est haec, transtulisset:¹⁴⁵ „... si quid studiorum olim in Italia hauseram, ea mihi omnia, oblivione et longa desuetudine iam effluxerunt.“ Et eodem anno:¹⁴⁶ „Si quid etiam olim de fonte Guarini nostri hauseram, id tam longa intermissione exaruit.“ Num, si a. 1461. hanc orationem transtulisset, scripsisset a. 1467.¹⁴⁷ se septennali iam intermissione Graecarum litterarum iterum Graecum in Latinum convertere destinavisse. Qua enim de causa nos terminum, post quem Ianus Pannonius usque ad annum 1467. non convertit, annum 1460. esse arbitramur, quo anno, ut supra iam pluribus verbis diximus, quandam partem ex Iliados libro VI. et orationem parvam Demosthenis, quae Adversus epistolam Philippi habita erat, traduxit.

Cum iam res ad libri convertendi tempus attinentes inter se contradicere viderentur, maiora documenta quoque habemus, id est scribendi genus, quod longe alius est in interpretationibus omnibus Iani Pannonii, quam eius, qui hanc orationem interpretatus est.

Paulo superius iam pluribus verbis explicavimus, Ianus Pannonius quam fidissimus, cum interpretatur, verbum verbo reddidisset; ille enim solum Latini sermonis gratia nonnullas locutiones transformat, ceterum constructiones verborum eodem ordine, ut in Graeco sequuntur, vertit. Ut totam structuram enuntiationis evertat,

numquam apud eum exemplum invenimus. Numquam interpretationes maxima cum industria elaboratas effecit, brevi tempore eae ad finem perductae sunt. Ipse dicit amicum, M. Aurelium, interpretationibus venustatem esse desideratum.¹⁴⁸

Si autem hanc orationem Demosthenis in Latinum translata spectaverimus, profecto videbimus, quam perfecte, accurate, diligenter conversa sit. Haec interpretatio nullo modo nobis verbum verbo reddere fidum interpretem ostendunt et affirmant. Imprimis apud eum sententia enuntiationis magni momenti est, non autem verbum. Structuram Latini sermonis solertissimus tractat et semper sententiam elocutionis exponit et eam peritissimus linguae Latinae reddit. Coniunctionem *ac* scriptores Latini semper ante consonantem (excepta *h* littera) usurpabant. Qui hanc orationem Demosthenis in Latinum convertit, hac coniunctione semper bene utitur, solum coniunctionem *simul ac* ante vocalem quoque usurpat. Ianus Pannonius autem ignorat usum huius coniunctionis et contra legem scribendi hac coniunctione et ante vocalem et consonantem pariter utitur. Verba mediae Latinitatis in hac oratione conversa non inveniuntur.

Comparemus nunc interpretationem cum verbis scriptoris, quo planius et dilucidius scribendi genus interpretis videamus :

Δημοσθένους Ἐπὶ Κτησιφῶντος
περὶ τοῦ στεφάνου, c. 85.

Ἔστιν οὖν δοῦς ἡμῶν οἷδέ τιν' αἰσχύνην τῇ πόλει συμβᾶσαν διὰ τοῦτο τὸ ψήφισμα ἢ χλευασμὸν ἢ γέλωτα, ἃ νῦν οὐτος ἔφη συμβῆσθαι, ἂν ἐγὼ στεφανῶμαι; καὶ μὴν διὰ τὴν νεία καὶ γνώριμα πᾶσι τὰ πράγματα, ἂν τε καλῶς ἔχη, χάριτος τυγχάνει, ἂν δ' ὡς ἐτέρως, τιμωρίας φαίνομαι τοίνυν ἐγὼ χάριτος τετυχηκῶς τότε, καὶ οὐ μέμψεως οὐδὲ τιμωρίας.

Cod. Vindob. Laf. 3186.
p. 16r.

Et postea hic ait dedecori futurum civitati. ineptum ridiculum, si doner ego corona. Num quis vestrum viri athenienses tale quippiam ex hac coronatione cognovit: Enim verum recentes sunt ac note omnibus res, favorem conciliant si merito fiant, odium si inmerito: ex quopalam est eam rem tunc gratam fuisse non reprehensione dignam aut pena visam.

Interpres orationis numquam constructione Graeca devincitur, multo liberius verba Graeca reddit. Enuntiationes ad arbitrium suum transmutat. Totam interpretationem volubilitas linguae Latinae imprimis notat. Qui orationem transtulit, virum exercitatum et versatum esse in libris convertendis, praeterea linguam Latinam usu et ratione plane et perfecte cognitam habere suspicamur.

Appendices.

I. De codicibus interpretationum.

Lipsiae in Bibliotheca Senatoria duo codices sunt, qui interpretationes Iani Pannonii continent.

1. *Cod. Lips. Senat. Rep. I. 98.*¹ In quarto min. membr. saec. XV. satis elegans. In prima pagina codicis hic hexameter inscriptus est a rubricatore:

Ianus Pannonius Sclavine gentis alumnus.

Ceterum haec pagina litteris vacua est. Idem, qui hunc hexametrum inscripsit, in postico codicis involucro haec inscripsit: „Idem *ἀποφθέγματα* Plutarchi ex graeco transtulit, quod opus Matthiae regi dedicavit.“ Codex tres interpretationes I ni Pannonii complectitur. Fol. 2a.: „Plutarchus de utilitate inimicitiarum translatus per Ianum Pannonium postea Episcopum Q.“ Deinde dedicatio incipit: „[I]anus Marco Aurelio Salutem.“ Fol. 2b.: Sequitur liber conversus, cuius inscriptio haec est: „Plutarchi Chaeroniensis libellus ad Cornelium Pulchrum, quibus modis ab inimicis iuvari possimus.“ Fol. 11b.: Haec leguntur: „Eiusdem in libellum Plutarchi de negotiositate Prohemium incipit. Ianus Marco Aurelio Salutem.“ Post dedicationem: „Plutarchi Chaeroniensis philosophi libellus de negotiositate.“ Fol. 23b.: Haec leguntur: „Oratio Demosthenis quae inscribitur adversus Epistolam Philippi traducta per R. d. Iohannem Episcopum Quinqueecclesiarum.“ Fol. 27b.: Tunc interpretatio ex Iliados VI. libro incipit.

2. *Cod. Lips. Senat. Rep. I. 80.*² In fol. min.³ membr. saec. XV. satis elegans. Codex continet librum Plutarchi, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur, a Iano Pannonio conversum. Titulus codicis non inscriptus est. Ceterum codex sic incipit ante dedicationem: „Serenissimo Hungarorum Regi Mathie. Iohannes Episcopus Quinqueecclesiarum.“ Post dedicationem legitur: „Plutarchi ad Traianum Caesarem Dicta Regum et Imperatorum. Pro-

logus.“ Codex ipse mutilus et mancus est; extrema pagina una cum versibus interpretationis nonnullis periit.

Ambos codices aliquando Ioannes Fredericus Steinbach Aurobaco-Variscus habuit, uti significatio in codicis involucre extans quoque testatur.⁴ De his codicibus primum Eug. Ábel commemoratur.

Vindobonae in Bibliotheca Nationali unicus codex interpretationes Iani Pannonii complectens servatur.

*Cod. Vindob. Lat. 3509.*⁵ (Olim Rec. 3183.) Chart. saec. XV. Fol. 46a.: Incipit interpretatio ex Iliados libro VI. Fol. 50a.: „Plutarchi Cheroniensis libellus ad Cornelium Pulchrum quibus modis ab inimicis⁶ iuari possimus.⁷ Fol. 50b.:⁸ „Plutarchus de utilitate inimicitarum translatus per Ianum Pannonium postea Episcopum Quinqueecclesiensem.⁹ Ianus Marco Aurelio Salutem.“ Fol. 57a.: Eiusdem in libellum Plutarchi de negotiositate prohemium incipit. [I]anus Marco Aurelio Salutem.“ Nunc dedicatio sequitur, postquam leguntur: Fol. 58a.: „Plutarchi Cheroniensis philosophi libellus de negotiositate.“

Libelli Plutarchi conversi semper una in codicibus ad nostram aetatem manserunt, praeterea semel una cum oratione Demosthenis conversa quoque, e quibus coniecturam facere possumus duas sive tres interpretationes ex uno codice descriptas esse. Variantes lectiones inter duas codices exstantes Eug. Ábel collegit, ubi codices descripsit.

II. Codices deperditi.

Omnes codices, qui a Iano Pannonio scripti et missi erant, temporum iniquitate perierunt.

Codex, qui editioni Bononiensi excudendae a. 1523. fundamento fuerat, orationem Demosthenis quae Adversus epistolam Philippi habita erat, a Iano Pannonio conversam complectens hodie non invenitur.

Morellius a. 1802. scribit¹⁰ se codicem in quarto chartaceum, qui a. 1490. scriptus esset, habuisse continentem libellum a Iano Pannonio translatum, qui Quibus modis ab inimicis iuari possimus? inscriberetur. Codex quamquam nullam inscriptionem habuisset, se ex interpretatione cognovisse a Iano Pannonio esse conversum.

Eug. Ábel codicem, antequam bibliotheca Morellii in Bibliothecam Marcianam insereretur, sive venditum sive donatum esse arbitratur, nam ibi nunc non reperiri potest.

Pariter non invenitur codex, quem Vitas Bruti et Galbae a Iano Pannonio conversas et a Guarino Veronensi emendatas complectentem Ioannes Sambucus a. 1569. in editionis operum Iani Pannonii dedicatione testatur. Haec enim scribit: ¹¹ „Bruti et Galbae in Plutarcho Vitae Latinae huic omnino Interpreti sunt tribuendae, quod ipsum de libro Veronae a me viso et a Guarino emendato, testis oculatus confirmo.“

III. De editionibus interpretationum.

Editio princeps trium interpretationum, quae sunt Quibus modis ab inimicis iuvare possimus? et De negotiositate et Oratio adversus epistolam Philippi, postquam iam e carminibus Iani Pannonii quattuor editiones ab anno 1512. usque ad annum 1518. in lucem prodierant, ¹² a. 1523. Bononiae typis excusa est. Quae editio Bononiensis ab Adriano Volphardo curata edita est. ¹³ Quam editionem com. Sam. Teleki magnopere laudavit. ¹⁴

Easdem interpretationes Iani Pannonii comes Samuel Teleki edidit a. 1784. Traiecti ad Rhenum. Huic editioni fundamento editio Bononiensis fuit. Tres interpretationes in altera parte inveniuntur. ¹⁵

Editionem principem libri a Iano Pannonio conversi, quae Dicta regum et imperatorum inscribuntur, Eug. Ábel Budapestini a. 1880. prelo mandavit. Interpretationem e Lipsiensi codice editioni suae descripsit. ¹⁶



Commentarii.

¹ Ciceronianismus. De quo aetate renascentiae vide profusius Ed. Norden: Die antike Kunstprosa vom VI. Jahrhundert v. Chr. bis in die Zeit der Renaissance. 1918. Lipsiae u. Berolini II². 773. sqq. — Iam Petrarca et Boccaccius magno cum studio opera Ciceronis requirebant. G. Voigt: Die Wiederbelebung des classischen Alterthums oder das erste Jahrhundert des Humanismus. I². pp. 37. sqq. ² Praecipue Guarinus Veronensis legere in schola sua Terentium docuit. ³ Voigt o. c. I. p. 13. ⁴ Voigt o. c. I. p. 48. ⁵ Voigt o. c. I. p. 48. ⁶ Voigt o. c. I. p. 173., II³. pp. 109. sqq. ⁷ Voigt o. c. II. pp. 110—111. ⁸ Voigt o. c. II. p. 106. ⁹ Voigt o. c. I. pp. 204. sqq. ¹⁰ Voigt o. c. I. pp. 216. sqq. ¹¹ Voigt o. c. I. p. 222. ¹² Voigt o. c. I. pp. 225. sqq. ¹³ Voigt o. c. I. p. 226. ¹⁴ Voigt o. c. I. p. 226., II. p. 114. ¹⁵ Remig. Sabbadini: Il metodo degli umanisti. Florentiae 1920. p. 17. — Voigt o. c. I. p. 232., II. p. 380. ¹⁶ Voigt o. c. I. p. 220. ¹⁷ Voigt o. c. I. p. 221. ¹⁸ Voigt o. c. I. pp. 223. sqq., I. p. 51J. ¹⁹ Voigt o. c. I. p. 429. ²⁰ Voigt o. c. II. p. 114. ²¹ Voigt o. c. I. pp. 317. sqq. ²² Voigt o. c. II. p. 114. ²³ V. profusius Steph. Hegedüs: Guarinus és Janus Pannonius. Budapest 1896. — Voigt o. c. I. pp. 551. sqq., II. p. 214. ²⁴ Voigt o. c. I. pp. 537. sqq. ²⁵ Voigt o. c. I. pp. 539. sqq. ²⁶ Voigt o. c. I. p. 553. — Qua de grammatica v. profusius Franciscus Mály: Veronai Guarinus Erotematái párhuzamban Dionysios Thrax grammaticájával. Budapest 1898. ²⁷ Sabbadini o. c. p. 23. ²⁸ Hegedüs o. c. p. 28. ²⁹ Norden o. c. II. 796. — Voigt o. c. I. 541. ³⁰ Natus est a. Chr. n. a. 165., discipulus Aristarchi erat. ³¹ Mály o. c. p. 5. ³² Mály o. c. p. 6. ³³ Mály o. c. p. 5. ³⁴ Sabbadini o. c. p. 17. ³⁵ Quam grammaticam primum a. 1501. Rhegii, mox a. 1512. Tubingae ediderunt, cuius editionis inscriptio haec est: „Guarini Erotemata grammatica ex Chrysolorae libello maiusculo cum interpretatione latina.“ (Mály o. c. p. 7.) ³⁶ Sabbadini o. c. p. 18. ³⁷ Ibidem. ³⁸ Totam epistolam notam facit Sabbadini o. c. pp. 18—20. ³⁹ Sabbadini o. c. p. 20. — Remig. Sabbadini: Epistolario di Guarino Veronese: vol. I. p. 85. epist. 34., versus 31—35. ⁴⁰ Sabbadini: Il metodo etc. pp. 20—23. — Idem: Epistolario etc. III. p. 42.,; commentarii ad epistolam 34. Quae proverbialia a Guarino Veronensi translata Leonardus Botta et Pandolfus Collenuccius colligebant. Titulus libri Leonardi Botta: Ex variis doctissimi viri Guarini Veronensis lectionibus tum sermonibus lecta. Haec proverbialia imprimis ex operibus Homeri, Hesiodi, Theocriti, Phocylidi sunt electa. Versus primus est proverbium Graecum, super hoc huius proverbii enuntiatio, quem ad modum eo tempore Graeci edicebant, super hoc interpretatio Latina, infra proverbium Graecum explicatur. ⁴¹ Amb. Traversarius quoque memorat. Vide comment. 38., p. 19. ⁴² Iosephus Huszti: Platonista törekvések Mátyás király udvará-

ban. Pécs 1925. p. 8. ⁴³ Ab a. 1417. usque ad a. 1434. — Huszti o. c. p. 7—8. ⁴⁴ Huszti: o. c. ⁴⁵ Norden o. c. I. 392. ⁴⁶ Norden o. c. II. 7.6. sqq. ⁴⁷ Voigt o. c. I. pp. 237. sqq. II. p. 115. ⁴⁸ E Graeco in Latinum convertit Cyropaediam Xenophontis (Voigt o. c. II. p. 174—5, 185). ⁴⁹ Voigt o. c. I. 266. ⁵⁰ Huszti o. c. p. 8. ⁵¹ Voigt o. c. I. p. 164. — De Laurentio Valla v. profusius eundem I pp. 464. sqq. ⁵² Huszti o. c. pp. 13. sqq. ⁵³ Huszti o. c. p. 13. ⁵⁴ Voigt o. c. II. pp. 180. sqq. ⁵⁵ Voigt o. c. II pp. 188. sqq. ⁵⁶ Epistola Iani Pannonii ad papam invenitur: Eug. Ábel: Adalékok a humanismus történetéhez Magyarországon. Budapest 1880. pp. 103—8. ⁵⁷ Comes Samuel Teleki: Iani Pannonii. Poemata. Pars prima Traiecti ad Rhenum MDCCLXXXIV. Eleg. I. 6 vv. 103—6. ⁵⁸ Natus est a. 1434. ⁵⁹ Epistola Baptistae Guarini ad Ioannem Bertucium, quam edidit Eug. Ábel in libro supra memorato pp. 203—11. — Hoc in pagina 205. scriptum est. ⁶⁰ Teleki o. c. I. Eleg. I. 6. v. 107. ⁶¹ Comes Samuel Teleki: Iani Pannonii Opusculorum pars altera pp. 186. sqq. ⁶² Ábel o. c. p. 205. ⁶³ Ibidem. ⁶⁴ Ibidem. ⁶⁵ Ábel o. c. p. 206. ⁶⁶ Teleki o. c. II. p. 110. ⁶⁷ Ibidem. ⁶⁸ Teleki o. c. II. pp. 312—3. ⁶⁹ V. commentarium: 56. ⁷⁰ Teleki o. c. I. pp. 1—59. (vv. 36 + 1073.) ⁷¹ Teleki o. c. II. p. 204. ⁷² Ibidem. ⁷³ Teleki o. c. II. 210. ⁷⁴ V. comm. 68. ⁷⁵ In dedicatione libri Plutarchi a Iano Pannonio conversi, quam edidit Eug. Ábel, o. c. p. 32. ⁷⁶ Ábel o. c. p. 31. ⁷⁷ De libris conversis editiones Samuelis Teleki et Eugenii Ábel afferimus. Vide Appendices. ⁷⁸ Sic librum Demosthenis conversum dedicavit ei Baptista Guarinus, de quo libro in quarta dissertationis nostrae parte plura verba faciemus. ⁷⁹ In dedicatione eiusdem libri conversi, Teleki o. c. II. p. 71. ⁸⁰ V. comm. 73. ⁸¹ In dedicatione eiusdem libri conversi, Teleki o. c. II. 71. ⁸² Ibidem. ⁸³ Vide Appendices. — Omittendum esse titulum putamus, quem Teleki praeposuit ante dedicationem (II. 70). „De capienda ex hostibus utilitate.“ ⁸⁴ De Ludovico Odasio vide: *Archivio Storico Lombardo* Jahrg. 1896. pp. 355—380 Titulus dissertationis: L'umanista Lodovico Odasio. — De codice (Cod. Urb. Lat. 1432.) interpretationem Odasii complectenti imagines solis radiis descriptos, quae photographia vocatur, habemus. ⁸⁵ Cod. Urb. Lat. 1432. fól 1 r. et 3 v. — Vide comm. 84. ⁸⁶ Titulum sepulcri describit Arch. Stor. Lomb. (v. comm. 84.), ubi haec leguntur: V(ixit) ann. LIII. obit. AUI(em) | An. DNI. MDVIII OCTAVO. KAL. AUG. ⁸⁷ Arch. St. Lomb. p. 370. ⁸⁸ Dedicatio eiusdem libri conversi, Teleki II. p. 72. — A. Gellii Noctium Atticarum I. XI. 16. ⁸⁹ Ianus Pannonius ipse dicit: „Cicero... in libro, De Officiis primo... admonet peregrinum minime esse debere in aliena re publica curiosum.“ Cic. in libro, qui est De officiis, I. 125. haec dicit: „peregrini... officium est... minime... esse in aliena re publica curiosum.“ ⁹⁰ Dedicatio eiusdem libri conversi, Teleki II p. 73. — E carmine Catulli (VII. vv. 11—12.) haec citat: „Quae nec pernumerare curiosi | possint, nec mala fascinare lingua.“ ⁹¹ Dedic. eiusdem libri conversi, Tel. o. c. II. p. 73—74. — Cic. De nat. deor. I. 96. ⁹² Dedic. eiusdem libri conversi, Tel. II. p. 74. Ianus Pannonius ipse dicit: „... Cicero in Tusculanis Quaestionibus a mulieroso mulierositatem, a vitioso vitiositatem, ab ebrioso ebriositatem... configurat.“ Cic. de mulierositate: Tusc. disp. IV. 25—26; de vitiositate: Tusc. disp. IV. 29.; de ebriositate Tusc. disp. IV. 27. ⁹³ Dedic. eiusdem libri conversi Tel. II. p. 74. ⁹⁴ Tel. II. p. 74. ⁹⁵ Tel. II 72—73. — Omittendus

est nobis titulus; quem ante dedicationem posuit Teleki o. c. II. 72. De curiositate. ⁹⁶ † Guilelmus *Fraknoi*, Iosephus *Fögel*, Edit *Hoffmann*: Bibliotheca Corvina. Mátyás király budai könyvtára. (Composuerunt: Albertus *Berzevicy*, Franciscus *Kollányi*, Tiberius *Gerevich*) Budapest 1927. p. 88. comm. 3. ⁹⁷ Teleki o. c. II. p. 95. ⁹⁸ V. Appendices. ⁹⁹ Ábel o. c. p. 31. ¹⁰⁰ V. Appendices. ¹⁰¹ V. Appendices. ¹⁰² Teleki o. c. II. p. 72. ¹⁰³ Teleki o. c. II. p. 74. ¹⁰⁴ Teleki o. c. II. p. 46. Haec verba ante interpretationem inveniuntur. ¹⁰⁵ V. Appendices. Omittendus est nobis titulus, quem ante interpretationem scripsit Teleki o. c. II. 46.: Oratio Demosthenis contra regem Philippum. ¹⁰⁶ Teleki o. c. II. p. 84. ¹⁰⁷ Teleki o. c. II. p. 88. ¹⁰⁸ Teleki o. c. I. p. 473. Epigr. I. l. epigr. XXXV. vv. 7—10. ¹⁰⁹ Teleki o. c. II. p. 81. epistola VII. „Budaë. 20. die April. 1462.“; Teleki o. c. II. p. 83—84. epistola IX. „Ex Quinqueecclesiis. Die 28. Septembris. 1462.“ scripta est. ¹¹⁰ Teleki o. c. II. pp. 92—93. epist. XIV. ¹¹¹ Teleki o. c. I. pp. 286—296. Elegia VI., qui Threnos, de morte Barbarae matris, A. MCCCCLXIII. inscribitur. ¹¹² Teleki o. c. I. pp. 313—319. Elegia IX., quae De se aegrotante in castris. A. MCCCCLXIII. inscribitur. ¹¹³ Fraknoi—Fögel—Hoffmann o. c. p. 12. ¹¹⁴ Teleki o. c. Epistola XVII. II. pp. 95—101. Quod ex epistola cito: pp. 98—99. ¹¹⁵ Ibi duas orationes habuit: Teleki o. c. II. pp. 58—69. ¹¹⁶ Teleki o. c. I. pp. 220—229. Elegia X., quae Conquestio de aegrotationibus suis in Mense Martio A. MCCCCLXVI. ¹¹⁷ Ábel o. c. p. 31. ¹¹⁸ Ábel o. c. p. 32. ¹¹⁹ Ábel o. e. p. 32. — Ante dedicationem Ábel (p. 31.) hunc titulum scripsit: De dictis regum et imperatorum. ¹²⁰ Ábel o. c. p. 84. ¹²¹ Teleki o. c. p. 71. ¹²² Ábel o. c. pp. 1—30. ¹²³ Ábel o. c. p. 31. ¹²⁴ Cod. Vindob. Lat. 3512. Quae autem codex solum alteram orationem complectitur: Contra aeschinem de praevaricata legatione (*Περί τῆς παραπρεσβείας*), alterius orationis titulus, ut e dedicatione libri conversi (fol. 2v.) eminet, Contra Androtonem de legum transgressione (*Κατὰ Ἀνδροτωνος παρανόμων*) inscribitur. ¹²⁵ Cod. Vindob. Lat. 3512. — Dedicatio orationis in Latinum conversae p. 2v. ¹²⁶ Hor. A. P. vv. 133—134. ¹²⁷ Ábel o. c. pp. 206—207. ¹²⁸ Ábel o. c. p. 31. ¹²⁹ Ibidem. ¹³⁰ Teleki o. c. II. p. 74. ¹³¹ Ábel o. c. p. 31. ¹³² Teleki o. c. I. p. 71. ¹³³ Teleki o. c. I. 74. ¹³⁴ Latini sermonis gratia videtur Ianum Pannonium non convertisse. ¹³⁵ Ant. *Bartal*: Glossarium mediae et infimae Latinitatis regni Hungariae. Lipsiae—Budapestini 1901. nonnulla verba ex his commemorat. ¹³⁶ Etiam nunc in codice; v. comm. 84. ¹³⁷ Teleki o. c. II. p. 119. ¹³⁸ Teleki o. c. I. Elegia IX. vv. 117—118. ¹³⁹ Nos totum codicem descripsimus. ¹⁴⁰ Codex paginas 78. continet, quarum duae sine numeris sunt, altera post paginam 66, altera post paginam 76. ¹⁴¹ Teleki o. c. p. 313. ¹⁴² Ioannes *Orbán*: *Sámbock Jánosról*. Szeged 1916. p. 24. ¹⁴³ Ibidem. ¹⁴⁴ Teleki o. c. II. p. 211. ¹⁴⁵ Teleki o. a. II. p. 84. ¹⁴⁶ Teleki o. c. II. p. 88. ¹⁴⁷ Ábel o. c. p. 31. ¹⁴⁸ Teleki o. c. II. p. 74.

Commentarii ad Appendices.

¹ Ábel o. c. p. 25. ² Ábel o. c. p. 28. ³ Eundem codicem Eug. Ábel in pagina 31. comm. 1) „in quarto maiori“ notat. ⁴ Ábel o. c. p. 25. ⁵ Ábel o. c. p. 27. — Nos quoque vidimus. ⁶ Miniator correxit e verbo: nunciis. Ábel: ibidem.) ⁷ Ábel o. c. p. 27.: possumus. ⁸ Ábel o. c. p. 27.: 56b.

⁹ Ábel o. c. p. 27.: Quinqueecclesiensie: ¹⁰ Ábel o. c. p. 7. (Morellius: Bibliotheca Manuscripta Graeca et Latina 1802. p. 323.) ¹¹ Teleki o. c. II. pp. 312—313. ¹² Annis 1512., 1513., 1514., 1518. ¹³ Teleki dedicationem huius editionis edidit in opere commemorato: II. pp. 270—299. — V. Comes Alexander *Apponyi*: Hungarica. Magyar vonatkozású külföldi nyomtatványok. Budapest 1900. I., liber descriptus: 172., p. 134. ¹⁴ Teleki o. c. I. p. VII. ¹⁵ Iani Pannonii Opusculorum pars altera. Quibus modis ab inimicis iuari possimus? dedicatio: pp. 70—71., interpretatio: pp. 3—22. De negotiositate: dedicatio: pp. 72—74., interpretatio: pp. 22—45. Oratio adversus epistolam Philippi: pp. 46—53. ¹⁶ Ábel o. c. Dedic.: pp. 31—32., interpretatio: pp. 32—84.

TABULA ARGUMENTI.

| | Pagina |
|---|--------|
| <i>Introductio</i> | 3 |
| <i>Pars prima:</i> | |
| De Graecae linguae renascentia in Italia | 5 |
| <i>Pars altera:</i> | |
| De studiis Iani Pannonii in schola Guarini | 14 |
| <i>Pars tertia:</i> | |
| De libris a Iano Pannonio conversis | 16 |
| <i>Pars quarta:</i> | |
| De scribendi genere Iani Pannonii in interpretationibus | 25 |
| <i>Pars quinta:</i> | |
| De interpretatione falso attributa Iano Pannonio | 36 |
| <i>Appendices</i> | 39 |
| <i>Commentarii</i> | 43 |

X B 137713